CAROLI FRIDERICI HERMANNI

ANTIQUITATES
LACONICAE.

MARBURGI.

SUMTIBUS N. G. ELWERTI BIBLIOPOLAE ACADEMICI.

MDCCCXLI.

6

CAROLI FRIDERICI HERMANNI,

PROFESSORIS MARBURGENSIS,

ANTIQUITATUM LACONICARUM LIBELLI QUATUOR.





MARBURGI & LIPSIAE.

SUMTIBUS N. G. ELWERTI BIBLIOPOLAE ET TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXLI.

VIRO

EXCELLENTISSIMO SPLENDIDISSIMO CLARISSIMO

AUGUSTO BOECKHIO,

REGIAE SCIENTIARUM ACADEMIAE BORUSSICAE

IN CLASSE PHILOSOPHICA ET HISTORICA

SECRETARIO,

CETERISQUE ILLIUS ACADEMIAE

SODALIBUS

ILLUSTRISSIMIS, GRAVISSIMIS, DOCTISSIMIS

HONORIS ET OFFICII CAUSA

D. D. D.

C. FR. HERMANNUS.

Jussistis me nuper, Viri Amplissimi atque Doctissimi, si quid aut ipse reperissem aut aliunde cognitum haberem, quod bonarum artium studiis augendis promovendisque inserviret, Vobiscum communicare; cui humanissimae invitationi licet probe sciam illud potius propositum fuisse, ut animum meum ad majora conamina in posterum incenderetis, quam ut me in iis quae adhuc edidi acquiescere velletis, tamen ne in tanta quanta undique premor negotiorum mole nimis diu deesse cogerer, nihil aptius visum est quod Illustrissimis Vestris nominibus inscriberem quam hic libellus, in quo ea quae novissime excogitavi cum iis quae haud scio an prima me Vobis a meliore parte commendarint, ita conjunxi, ut gravissimum argumentum nunc demum continuae tractationis vinculo comprehendant et absolvant. Dudum enim me exercuerat atque identidem ad se revocaverat admirabilis illa reipublicae Laconicae condicio, qua inter maximas fortunae vicissitudines summae immobilitatis speciem servavit; cujus etsi proclivis explicatio ex Lycurgeae constitutionis indole totiusque nationis Doricae ingenio repeti poterat, tamen et illud mirum videbatur, quomodo gens ad principatum Graeciae nata ab insito illo Graecorum animis vigore adeo desciscere potuerit, ut dum omnia circa se ad summa culturae fastigia properarent, ipsa antiquae disciplinae rigore contenta in eodem vestigio persisteret, nec si vel maxime concedamus hanc ipsam causam fuisse cur ceterarum

uationum inconstantiam et mobilitatem facili negotio superarent, id certe satis ab harum rerum existimatoribus explicatum erat, unde in tanta constantiae et severitatis laude ea demum morum corruptela totiusque reipublicae conversio orta esset, qua Lacedaemonios in ipso fortunae culmine correptos postremo vix umbram et simulacrum pristinae dignitatis reliquisse constaret. Et ceteros quidem illarum antiquitatum scriptores, qui externas tantum causas aucupantes ne materiae quidem affatim ad hoc argumentum pertractandum congesserunt, mitto; sed Odofredus quoque Müllerus, vir immortalis memoriae, quo nemo facile Vestram disciplinam, Viri Excellentissimi, uberioribus fructibus illustravit, in praeclaris illis voluminibus, quibus primus omnium intimos Doricae virtutis recessus aperuit Lycurgearumque legum fontem non in unius hominis calliditate sed in totius gentis praestantia quaerendum esse demonstravit, illud potius animadvertit, quibus rebus Dorica gens a ceteris omnibus diversa fuerit cultusque ac disciplinae singularitate excelluerit, quam nexum et convenientiam cum universae Graeciae deformatione attendit communemque generis humani condicionem in illius quoque reipublicae primordiis ac decrementis persecutus est, dumque Lycurgeae lucis splendore unice retineretur, nec diluculi plus quam praeteriens memor fuit, neque devergentem solem ad occasum usque comitari sustinuit. Scilicet ille ut mira et prorsus singulari ingenii temperamento et concinnitate insignis erat, ita etiam in eorum temporum populorumque memoria libentissime versabatur, quorum mores omnisque sentiendi et agendi ratio ad similem modestiae et fortitudinis concentum composita esset, quique plurimum verae gloriae enarrandis priscae artis monumentis meruit, cum mirum non est populum quoque, quem studiis suis amplecteretur, non solum bellandi, quae vetus ejus fama fuit, sed etiam reipublicae condendae artificem proposuisse ipsumque adeo tanquam Phidiacae artis opus

absolutissimum inter ceterarum gentium fragilitatem defigere quam aeternae illi naturae legi subjicere maluisse, quae omnes res animatas et parvis rudibusque incrementis oriri et iisdem causis, quas crescendi alendique vigoris vitalis habeant, paulatim exhauriri absorberique jussit. Atqui his demum intellectis antiquitatis memoriam ita repraesentare poterimus, ut non formam aliquam velut de coelo delapsam intueri nobis videamur, sed ipsi quasi coram rebus agendis intersimus inque medio vicissitudinum turbine constituti, dum alia fieri alia perire cernamus, universum illius decursum animis nostris comprehendamus; quo facto tantum abest ut hujus sanctitas vel admiratio qua eam prosequi solemus imminuatur, ut ita demum dignum humanitatis exemplar existimare possimus, ubi nihil humani ab ea alienum putaverimus, neque ipsa lumina clarius ac fulgentius apparitura sint, quam si umbris recte dispositis plenitudinem imaginis cum veritate conjunxerimus. His igitur rationibus motus jam ante hoc decennium in ejus mutationis causas, quam Lacedaemoniorum rempublicam vel incolumi Lycurgeae constitutionis specie a Xenophontis inde aetate accepisse certis veterum testimoniis constaret, ita inquirere coepi, ut statim in hanc literarum universitatem vocatus priorem illius disputationis partem, quae de hominum discrimine est, ederem, neque ita multo post, quum prolusionum publice scribendarum munus in me translatum esset, altera scriptione de agrorum inaequalitate subjecta totam quaestionem ex mei saltem animi sententia absolverem; quos libellos quum et intelligentissimorum in hoc argumento virorum Schömanni, Haasii, ipsiusque desideratissimi Mülleri suffragia tulisse et iteratis precibus a librariis expeti viderem, dudum recudendos esse statueram, modo reliquas partes ipsaque rerum Laconicarum primordia et incrementae, quae itidem Müllerus strictim tantum et velut aliud agens attigisset, eodem pacto data opera pertractare licuisset. Eo autem

proxima demum superiore aestate pervenire mihi contigit, nec sine magna sollicitudine Vestris potissimum manibus hos libellos uno volumine comprehensos trado, cujus de dimidia certe parte nunc demum virorum doctorum judicia exspecto; illud tantum mihi concessum iri spero, media quadam via me ingressum esse inter eos qui omnia et qui nihil Lycurgo ipsi tribuunt, servatoque, quod omnium fere cousensu nunc recipitur, plurima Lycurgi instituta non nove ab illo excogitata sed ex pristinis gentis moribus opportune revocata esse, quidquid tamen in illis immobilitatis cernitur, legislatoris potius artificio quam populi merito tribuisse, quem satis ostendisse mihi videor et ante illum plurimis gravissimisque motibus concussum esse nec postea se ulterius quieti dedisse, quam ipsum illud sanum temperamentum a Lycurgo institutum postularet, donec ea tempora ingruerent, quibus inter immensos reliquae Graeciae progressus hoc quoque temperamento turbato irritam medicinam in immodica quiete quaesiverunt. Sed haec in ipsa scriptione amplius existimabitis; unum restat, ut veniam Vestram expetam, si quid forte in externa disputationum forma orationisve colore non omnino nitere deprehenderitis; hoc enim vix aliter evenire poterat in ea festinatione, qua hos libellos ante certum constitutumque diem quocunque modo absolvere cogebar; nec quum duos posteriores iterum prelo subjicerem, inter academici muneris negotia, quibus nunc maxime laboro, plus temporis suppetebat, quam quo ad mutationes et additamenta prorsus necessaria uterer; idem vero quum in omnia fere cadat, quae adhuc edere potui, eandem me in his quoque indulgentiam et aequanimitatem inventurum esse confido, qua me jam nunc in clientelam Vestram recipere non dedignati estis. Valete, Viri Illustrissimi, studiisque meis, ut facitis, favere pergite!

Scr. Marburgi pridie Kal. April. MDCCCXLI.

I.

DISPUTATIO

DE STATU LACEDAEMONIORUM ANTE LYCURGUM

SCRIPTA

INDICENDIS NATALITIIS

AUGUSTISSIMI ELECTORIS

A. MDCCCXL.

I.

Notum est quod Herodotus tradit Lacedaemonios ante Lycurgum omnium fere Graecorum pessime de legibus constitutos fuisse atque hujus demum opera in meliorem statum transiisse [1]); quod si nihilominus quotquot in veterum Lacedaemoniorum res accuratius inquisiverunt viri docti paene omnes in ea re consentiunt, ut Lycurgum non tam novas leges excogitasse quam vetera Doriensium instituta revocasse et denno sanxisse statuant [2]), merito miramur, quomodo haec quae ipsius Lycurgi exemplo saluberrima fuisse appareat, adeo corrumpi atque in deterius abire potuerint ea aetate, qua in plerisque Graeciae civitatibus ne vestigium quidem earum turbarum quibus posterius conflictatae sunt exstet. Nec qui huic ipsi quaestioni solvendae operam dederunt, partim regum duplicitatem indeque natam imbecillitatem, partim plebis impotentiam victoria superbientis, partim varia incolarum genera Doriensibus admixta causati, ultra suspiciones et conjecturas satis interdum audaces pro-

1) Her. I 65: τὸ δὲ ἔτι πρότερον τούτων καὶ κακονομώτατοι ἦσαν πάντων Ἑλλήνων κατά τε σφέας αὐτοὺς καὶ ξείνοισι ἀπρόσμικτοι· μετέβαλον δὲ ὧδε ἐς εὐνομίην κ. τ. λ.

2) Cf. Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. §. 23, n. 10.

cesserunt [3]), is vero qui omnium maxime rei expediendae idoneus fuisset, eam leviter tantum et quasi praeteriens attigit [4]); nihil igitur supervacaneum aut ineptum acturi esse nobis videmur, si in faustissimis Augustissimi Principis natalitiis, qui et ipse has terras praeclaris legibus emendavit, de eo Lacedaemoniorum statu, qui ante Lycurgum fuerit, ipsisque legumlationis Lycurgeae causis paulo diligentius disputarimus. Hanc enim si summae sapientiae opus fuisse et unanimi vetustatis testimonio et ipsi diuturnitati plus quam humanae credimus [5]), non opinor sufficit, ut Lycurgum priscos gentis suae mores instaurasse dicamus, nisi simul doceamus, talem ejus temporis conditionem fuisse, ut illuc redire potius quam novas leges condere praestiterit, neque quisquam facile intelliget, quomodo instituta, quae quum natura et consuetudine genti propria essent, tam cito degenerassent, arte et auctoritate externa restabilita paene perennia reddi potuerint, nisi ex ipso rerum statu, qui tunc esset, aliquid certe firmamenti

---

3) Mitford Gesch. Griechenlands T. II, p. 297 sqq. Manso Sparta T. I, p. 66 sqq. Plass Vor- und Urgeschichte von Griechenland T. II, p 86. Clavier hist. des prem. temps de la Grèce T. II, p. 134 sqq. Lachmann die spartan. Staatsverfassung p. 145 sqq. Cf. et Dr. Arnold on the Spartan constitution in Mus. philol. Cantabrig. T. II, p. 43.

4) Müller Dorier T. II, p. 16: *daraus folgt aber wieder, dass wenn Herodot die Spartiaten vor Lykurg als höchst anarchisch schildert, dies für uns nur so viel heissen kann, dass die ursprüngliche Verfassung durch äussere Verhältnisse und Umstände gestört und verwirrt war, bis sie Lykurgus wieder erneuerte und herstellte.*

5) Xenoph. republ. Lac. I. 2: *Λυκοῦργον μέντοι τὸν θέντα αὐτοῖς τοὺς νόμους, οἷς πειθόμενοι ηὐδαιμόνησαν, τοῦτον καὶ θαυμάζω καὶ εἰς τὰ ἔσχατα μάλα σοφὸν ἡγοῦμαι:* cf. Plat. epist. VIII, p. 354 B: *δυνατὸν δέ, ὡς ἔδειξεν ἔργῳ σοφὸς ἀνὴρ καὶ ἀγαθὸς Λυκοῦργος:* Cic. republ. III. 9: *Lycurgus autem ille legum optimarum et aequissimi juris inventor:* Tuscul. V. 3, pluraque in Lehrbuch cit. §. 23, n. 11 et 12.

acceperint: denique quanto magis constat jam inter Graecos fuisse, qui omnia, quae vulgo Lycurgi inventa haberentur, ad ipsos gentis conditores referrent [6]), eo minus haec ipsa recte existimari posse arbitramur, quin ad eadem illa gentis incunabula redeamus, eorumque memoriam quantum in vestigiorum tenuitate liceat resuscitemus. Ita autem hoc argumentum tractabimus, ut primum quidem quidquid ex aliis scriptoribus ad dijudicandam illustrandamque Herodoti narrationem repeti poterit strictim complexi pravae illius constitutionis indolem et naturam clarius cognoscamus, deinde vero origines ejus ex reliqua illorum temporum memoria cognatorumque populorum fortuna probabiliter explicare conemur, atque sic postremo ad eorum remediorum intellectum perveniamus, quibus Lycurgi sapientiam ad reficienda reipublicae fundamenta stabiliendamque civium suorum salutem uti consentaneum fuerit.

II.

Herodoti auctoritatem tuituris primum removendus est Isocratis locus, ubi ait Lacedaemonios sub finem belli Peloponnesiaci maris imperium adeptos brevi tempore ab ea reipublicae integritate descivisse, quam constet septingentorum annorum spatio nec periculis ullis neque calamitatibus conflictatam esse [7]); quem quum plerique

6) Strabo VIII, p. 366: *Ἑλλάνικος μὲν οὖν Εὐρυσθένη καὶ Προκλέα φησὶ διατάξαι τὴν πολιτείαν, Ἔφορος δ' ἐπιτιμᾷ φήσας Λυκούργου μὲν αὐτὸν μηδαμοῦ μεμνῆσθαι.* Longius etiam ascendit Pindarus Pyth. I. 120: *ἐθέλοντι δὲ Παμφύλου καὶ μὰν Ἡρακλειδᾶν ἔκγονοι ὄχθαις ὑπὸ Ταϋγέτου ναίοντες αἰεὶ μένειν τεθμοῖσιν ἐν Αἰγιμιοῦ Δωριεῖς:* cf. Müller Dor. T. II, p. 15.

7) Isocr. de Pace §. 95: *τὴν γὰρ πολιτείαν ἣν ἐν ἑπτακοσίοις ἔτεσιν οὐδεὶς οἶδεν οὔθ' ὑπὸ*

interpretes ad Lycurgeae constitutionis diuturnitatem retulissent [8]), rectissime nuper Clinto monuit hanc computationem reliquorum scriptorum numeros fere ducentis annis superaturam esse [9]) neque dubitari posse, quin orator rationes suas inde ab Heraclidarum reditu duxerit [10]); idem tamen verissime addidit, aliquid oratorio colori condonandum esse, praesertim quum externa potissimum reipublicae fortuna spectari videatur, quae nec hostium multitudine nec cladibus acceptis quidquid detrimenti passa sit [11]). Neque ipsum Isocratem internas illas turbas, quo Herodoti testimonium pertinet, aut ignorasse aut parvi fecisse proque falsis sprevisse alius locus luculentissime demonstrat, ubi ceteras quidem duas Doriensium partes, quibus Argos et Messene obtigerint, res suas simili cum reliquis Graecis modo administrasse narrat, tertiam autem partem, Lacedaemonios, ab iis, qui horum res accurate norint, tantis seditionibus laborasse tradi,

---

κινδύνων οὐδ' ὑπὸ συμφορῶν κινηθεῖσαν ταύτην ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ σαλεῦσαι καὶ λυθῆναι παρὰ μικρὸν ἐποίησε.

8) Praeter Hieron. Wolfium p 535 cf. imprimis Coraës T. II, p. 138: *ἀπὸ Λυκούργου δηλονότι τοῦ συστήσαντος αὐτήν· καὶ σημειωτέα ἡ χρονολογία, καίπερ πολλὴν ἐχόντων τὴν ἀμφισβήτησιν τῶν χρόνων κ. τ. λ.*

9) Diodor. Sic XV. 1: *Λακεδαιμόνιοι περὶ Λεῦκτρα παραδόξως ἡττηθέντες . . . ἀπέβαλον τὴν τῶν Ἑλλήνων ἡγεμονίαν . . . διὰ τὴν ἀρετὴν τῶν προγόνων διαφυλαχθεῖσαν ἔτη πλείω τῶν πεντακοσίων.* Aelian. Var. Hist. XIII. 42: *Θηβαίους ἠνάγκασεν Ἐπαμινώνδας τὴν Λακωνικὴν ἐπιπολῆσαι πεντακοσίοις ἐνιαυτοῖς ἀδῄωτον οὖσαν* etc. Cf. F. W. Fischer et A. Soetbeer griechische und römische Zeittafeln, Alton. 1840 4, p. 33 sqq.

10) Clinton Fast Hell. T. II, p. V.

11) Ibid. p. VI: *we must make allowance for the colouring of an orator . . . and the expressions of the orator may perhaps be justified, as applied to the extern form o their constitution.*

quantas nulla praeterea Graeciae civitas experta sit, donec ii, qui plebem infra se positam judicarent, victoria reportata civitatem longe aliter atque illi fecissent constituerint [12]); quorum extrema quam vim habeant, postmodo videbimus; nunc etiam Isocratem subscriptorem potius quam adversarium Herodoto addidisse sufficiat. Difficilior causa est Strabonis, qui claris verbis tradit, Dorienses occupata Laconica vel ab initio sobrie et temperate egisse, postquam autem Lycurgo rempublicam permiserint, adeo reliquos omnes superasse, ut ad terrae marisque imperium pervenerint [13]); hunc enim constat quae de vetere Graeciae forma scripsit pleraque ex Ephoro sumsisse [14]), cujus summam in his fidem et diligentiam et ipse et ante ipsum Polybius maximis laudibus praedicarunt [15]). At enim vero hoc ipsum haud scio an depravata esse potius Strabonis verba arguat quam Herodoti fidem illius testimonio infringat; vix enim consentaneum est Isocratis discipulum Ephorum [16]) tam con-

12) Panath. §. 177: *οἱ μὲν Ἄργος λαχόντες καὶ Μεσσήνην παραπλησίως διῴκουν τὰ σφέτερ' αὐτῶν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι, τὸ δὲ τρίτον μέρος αὐτῶν, οὓς καλοῦμεν νῦν Λακεδαιμονίους, στασιάσαι μέν φασιν αὐτοὺς οἱ τἀκείνων ἀκριβοῦντες ὡς οὐδένας ἄλλους τῶν Ἑλλήνων, περιγενομένους δὲ τοὺς μεῖζον τοῦ πλήθους φρονοῦντας οὐδὲν τῶν αὐτῶν βουλεύσασθαι περὶ τῶν συμβεβηκότων τοῖς τοιαῦτα διαπεπραγμένοις κ. τ. λ.*

13) Strabo VIII, p. 365: *οἱ δὲ κατασχόντες τὴν Λακωνικὴν κατ' ἀρχὰς μὲν ἐσωφρόνουν, ἐπεὶ δὲ Λυκούργῳ τὴν πολιτείαν ἐπέτρεψαν, τοσοῦτον ὑπερεβάλλοντο τοὺς ἄλλους κ. τ. λ.*

14) Cf. Heeren de fontibus geogr. Strab. in comm. Gotting. rec. T. V (1823) Cl. hist. et phil. p. 126 sqq.

15) Strabo IX, p. 422: *Ἔφορος δ' ᾧ τὸ πλεῖστον χρώμεθα διὰ τὴν περὶ ταῦτα ἐπιμέλειαν, καθάπερ καὶ Πολύβιος μαρτυρῶν τυγχάνει, ἀνὴρ ἀξιόλογος*: cf. eund. X, p. 465 et Polyb. exc. Vat. XII. 30: *ὁ γὰρ Ἔφορος παρ' ὅλην τὴν πραγματείαν θαυμάσιος ὢν καὶ κατὰ τὴν φράσιν καὶ κατὰ τὸν χειρισμὸν καὶ κατὰ τὴν ἐπίνοιαν τῶν λημμάτων κ. τ. λ.*

16) Cicero de orat. II, 10; cf. Marx ad Ephori fragmenta p. 14 sqq.

traria magistro suo tradidisse, utque ceterorum scriptorum testimonia etiamnunc mittamus, ex eodem Ephoro Strabo paulo inferius narrat Eurysthenem et Proclem, primos Lacedaemoniorum reges, omnibus honoribus, quibus alias gentium conditores affici soleant, apud suos caruisse, quia peregrinis hominibus in civitatem recipiendis potestatem suam immodice auxerint [17]), id quod profecto neutiquam σωφρονούντων erat; quae quum ita sint, utique videndum erit, ne Strabonis verba, quod in eodem illo libro saepius apparet, corrupta et mutila ad nos pervenerint atque ita demum integritatem suam recuperent, ut levibus sane neque insolitis mutationibus [18]) scribamus: τὸ κατ' ἀρχὰς μὲν οὐκ ἐσωφρόνουν, ἐπεὶ δὲ Λυκούργῳ τὴν πολιτείαν ἐπέτρεψαν κ. τ. λ. Nam quod aliis visum est σωφρονεῖν apud Strabonem ad eam moderationem spectare, qua Lacedaemonii ante Lycurgum suis finibus contenti nullam aliorum populorum dominationem expetiverint [19]), quamquam vocabulo convenit [20]), tamen

17) Strabo VIII, p. 366: Ἔφορος δὲ ἐπιτιμᾷ φήσας . . . ἐκείνους δὲ καίπερ οἰκιστὰς γενομένους μηδὲ τοῦτο δεδόσθαι ὥστε τοὺς ἀπ' αὐτῶν τοὺς μὲν Εὐρυσθενίδας, τοὺς δὲ Προκλείδας καλεῖσθαι οὐδ' ἀρχηγέτας νομισθῆναι, ὅπερ πᾶσιν ἀποδίδοται τοῖς οἰκισταῖς . . . καὶ αἰτίαν τούτου λέγει ὅτι ἐπήλυδας ἀνθρώπους δεξάμενος δι' ἐκείνων ἐδυνάστευσε.

18) Omissae per librariorum incuriam negationis exempla contuli in spec. crit. ad Plutarch. de superst. p. 46, quibus accedant duo ex Proclo et Olympiod. ad Plat. Alcib. I, p. 148 et II, p. 66 ed. Creuzeri. De confusione articuli cum partic. καὶ pluribus egi ad Lucian. de hist. conscr. p. 319; alia praebent Hermann. ad schol. Aristoph. Nubb. v. 1165, Grauert. de Aesopo p. 71; Reisig. enarr. Oedip. Colon. p. XXII, Schubart. ad Pausan. VIII. 52. 4 etc.

19) Sic v. c. Groskurdius in interpr. german. Berol. 1831. 8; T. II, p. 69: *die neuen Besitzer Lakonike's lebten Anfangs anspruchslos*; quem tamen et ipsum consentaneum est certo τὸ κατ' ἀρχὰς legisse.

20) Siquidem σωφρονεῖν idem est quod τὸ τὰ ἑαυτοῦ πράττειν (Plat. Charmid. p. 161 B;

nescio quomodo abhorret a scriptoris sententia, qui quum alibi satis honorifice de Lycurgo loquatur [21]), nunc eandem virtutem hujus opera dedidicisse Spartanos argueret, quae vulgo ipsis ejus legibus sancita saluberrimisque institutis propagata esse dicitur [22]). Ut tamen geographus erraverit vel minus accurate scripserit, certe non desunt quae Herodoti historiam non modo confirment, verum etiam in clariore luce ponant. Quorum primum est Thucydidis testimonium, qui hoc ipso nomine Spartam praedicat, quod omnium quarum memoria exstet civitatum longissimas seditiones passa tamen quadringentis amplius annis praeclaris legibus utatur [23]), neque illud obstat, quod contra Aristotelis auctoritatem, qui Charilai regnum tyrannidem appellat [24]), Lacedaemonios unquam tyranno paruisse negat. Nimirum Thucydides ex vulgari sermonis usu tyrannos appellat, qui nulla regia stirpe oriundi nec jure ad imperium vocati in libera civitate dominatum populi arripuerint [25]); Aristoteles autem

---

Tim. 72 A) eoque nomine *τῷ πολυπραγμονεῖν* opponitur; cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 441 nosque in Gesch. u. System d. platon. Philos. T. I, p. 610.

21) Strabo X, p. 482; XVI, p. 762.

22) Thucyd. I. 68; Polyb. VI. 48; Plutarch. V. Lycurg. c. 5; comp. Lycurg. et Num. c. 1.

23) Thucyd. I. 18: *ἡ γὰρ Λακεδαίμων, μετὰ τὴν κτίσιν τῶν νῦν αὐτὴν ἐνοικούντων Δωριῶν, ἐπὶ πλεῖστον ὧν ἴσμεν χρόνον στασιάσασα, ὅμως ἐκ παλαιτάτου καὶ εὐνομήθη καὶ ἀεὶ ἀτυράννευτος ἦν· ἔτη γάρ ἐστι μάλιστα τετρακόσια καὶ ὀλίγῳ πλείω ἐς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολέμου, ἀφ' οὗ Λακεδαιμόνιοι τῇ αὐτῇ πολιτείᾳ χρῶνται* κ. τ. λ.

24) Aristot. Politic. V. 10. 3: *ἀλλὰ μεταβάλλει καὶ εἰς τυραννίδα τυραννίς .... καὶ εἰς ἀριστοκρατίαν, ὥσπερ ἡ Χαριλάου ἐν Λακεδαίμονι.*

25) Cornel. Nep. Miltiad. c. 8: *omnes autem et habentur et dicuntur tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quae libertate usa est*; cf. Lehrbuch cit. §. 63 sqq.

philosophica severitate etiam regem legitime natum, ubi jus fasque violaverit moresque majorem et terminos potestati suae legitime constitutos migraverit, ad tyranni conditionem detrudit [26]); quo vocabulo si vel Phidonem Argivum appellavit, qui nihil aliud in se commisit, nisi ut quidquid auctor generis Hercules subegisse ferretur, denuo sibi subjicere communibusque vinculis conjungere conaretur [27]), nihil mirum est eum idem in Charilaum contulisse, quem etiam alibi legimus potestate sua adeo abusum esse, ut plurima licentia Lacedaemonem obtineret [28]). Atque hoc profecto maximi momenti est ad Herodoti narrationem illustrandam, quod audimus ipsum Lycurgi pupillum, quo ille rege mox rem publicam ordinavit [29]), illegitimam ac nimiam potentiam prae se tulisse; neque tamen unius tantum hanc culpam fuisse, sed altius repetendam esse et inde apparet, quod ipsum Charilai ingenium mite fuisse dicitur, ut

26) Aristot. Politic. III. 5. 4: *ἡ μὲν γὰρ τυραννίς ἐστι μοναρχία πρὸς τὸ συμφέρον τὸ τοῦ μοναρχοῦντος*: IV. 8. 3: *τοιαύτην δ' ἀναγκαῖον τυραννίδα εἶναι τὴν μοναρχίαν, ἥτις ἀνυπεύθυνος ἄρχει τῶν ὁμοίων καὶ βελτιόνων πάντων πρὸς τὸ ἑαυτῆς συμφέρον, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ τῶν ἀρχομένων*: inque primis V. 8. 2: *αἱ μὲν γὰρ τοῦτον τὸν τρόπον κατέστησαν τῶν τυραννίδων, ἤδη τῶν πόλεων αὐξημένων· αἱ δὲ πρὸ τούτων ἔκ τε τῶν βασιλέων παρεκβαινόντων τὰ πάτρια καὶ δεσποτικωτέρας ἀρχῆς ὀρεγομένων* κ. τ. λ.

27) Ibid. V. 8. 3: *οἷον Φείδων μὲν περὶ Ἄργος καὶ ἕτεροι τύραννοι κατέστησαν βασιλείας ὑπαρχούσης*: cf. Lehrbuch cit. §. 33.

28) Heracl. Pont. rerump. fragm. c. 2 de Lycurgo agens: *καταλαβὼν δέ*, inquit, *πολλὴν ἀνομίαν ἐν τῇ πατρίδι καὶ τὸν Χάριλλον τυραννικῶς ἄρχοντα μετέστησε*. De formae differentia in nomine *Χαρίλαος* et *Χάριλλος* cf. Eberf. *Σικελ.* p. 91 sqq.

29) Nam quod Labotam appellat Herodotus, qui ex altera domo natus fere centum annis ante regnaverat, non minorem errorem esse, quam quod Dionys. Hal. II. 49 Eunomum, certatim viri docti annotarant; cf. Müller. Dor. T. I, p. 132 et Clinton. Fast. Hell. T. I, p. 144.

quidquid tyrannici haberet, a majoribus potius accepisse videatur [30]), et quod claris verbis Plato testatur eodem tempore Argivorum Messeniorumque reges, spretis quae voce et jurejurando plebi polliciti essent, plus quam leges valere voluisse, eoque facto discordiam, quae quum summa stultitia esset, ipsis sapientia videretur, omnes illas res publicas improbitate atque inhumanitate pervertisse [31]); quibus ubi adjunxerimus, quod superius not. 17 ex Ephoro commemoravimus, jam primos Lacedaemoniorum reges peregrinis in civitatem recipiendis civium animos a se abalienasse, sat opinor apparet, quo jure veteres scriptores non solum maximas sed etiam diuturnas turbas Lacedaemonios a principio usque ad Lycurgum exercuisse tradant. Quanquam enim his Plato ait geminam regum stirpem quasi divinitus datam esse ad violentiam dominationis temperandam [32]), ipse tamen concedit etiam Lycurgum ferventem et velut exaestuantem (φλεγμαίνουσαν) civitatem invenisse, ac si vel maxime concedamus, quod et aliis argumentis, quo inferius redibimus, et clarissimo Plutarchi testimonio confirmatur [33]), reliquas quoque Doriensium

30) Plutarch V. Lycurg. c. 5: φύσει πρᾶος ὤν: cf. Müller. p. 138.

31) Plat. legg. III, p. 691 A: οὐκοῦν δῆλον ὡς πρῶτον τοῦτο οἱ τότε βασιλῆς ἔσχον, τὸ πλεονεκτεῖν τῶν τεθέντων νόμων, καὶ ὃ λόγῳ καὶ ὅρκῳ ἐπῄνεσαν οὐ ξυνεφώνησαν αὑτοῖς, ἀλλ' ἡ διαφωνία, ὡς ἡμεῖς φαμέν, οὖσα ἀμαθία μεγίστη, δοκοῦσα δὲ σοφία, πάντ' ἐκεῖνα διὰ πλημμέλειαν καὶ ἀμουσίαν τὴν πικρὰν διέφθειρεν.

32) Ibid. p. 691 D: θεὸς οἶμαι κηδόμενος ὑμῶν τις, ὃς τὰ μέλλοντα προορῶν δίδυμον ὑμῖν φυτεύσας τὴν τῶν βασιλέων γένεσιν ἐκ μονογενοῦς εἰς τὸ μέτριον μᾶλλον συνέστειλε.

33) Plut. Lycurg. c. 7: οἱ τῶν ἴσων ἀπ' ἀρχῆς τετυχηκότες, ἐν δὲ τῷ κλήρῳ καὶ πλέον ἔχειν ἐκείνων δόξαντες, οὐκ ἐπὶ πολὺν χρόνον εὐδαιμόνησαν, ἀλλ' ὕβρει μὲν τῶν βασιλέων, οὐκ εὐπειθείᾳ δὲ τῶν ὄχλων τὰ καθεστῶτα συνταράξαντες ἔδειξαν κ. τ. λ.

res publicas, quas in Peloponneso constituissent, magnos motus expertas esse, hi ipsi eo tantum valebunt, ut Laconicarum illarum turbarum originem et naturam mutua comparatione declarent [34]), tantumque abest, ut verisimile sit ceteros illos scriptores propter Lycurgeae aetatis conversionem anteriorum temporum pravitatem nimis extulisse, ut Platonem suspicemur posteriorem illam Spartanorum astutiam, qua regum discordiam rei publicae salutarem arbitrabantur [35]), ad priorem aetatem retulisse, qua potius consentaneum erat binos reges, si inter se consentirent, regiam potestatem ultra modum augere, discordes vero novam semper seditionibus materiam suppeditare. Neque aliter sese rem habuisse omnium clarissime idem Plutarchus memoriae prodidit, ubi ipsius illius moris mentione injecta, quo Lacedaemonii non a primis regibus Eurysthene et Procle sed ab Agide et Eurypontе regiarum stirpium nomina repetierunt, primum ait Eurypontem de nimia potestate aliquid remisisse plebique adulari et gratum facere coepisse, atque ex hac remissione plebe quidem ferociente, regibus autem sequentibus partim violentia multitudinem irritantibus, partim gratia aut imbecillitate cedentibus, confusionem et petulantiam per multum temporis Spartam occupasse, adeo ut ipse Lycurgi pater Eunomus aliquando in turba, dum certantes dirimere studeret, cultro coquinario ictus occubuerit [36]); qua in narratione licet sint quae scriptor ipse potius

34) Cf. quae disputavimus in Annal. crit. Berol. 1837. T. II, p. 258 sqq.

35) Aristot. Politic. II. 6. 20: σωτηρίαν ἐνόμιζον τῇ πόλει εἶναι τὸ στασιάζειν τοὺς βασιλεῖς.

36) Plutarch. V. Lycurg. c. 2: ὅτι δοκεῖ πρῶτος Εὐρυπῶν τὸ ἄγαν μοναρχικὸν ἀνεῖναι τῆς βασιλείας, δημαγωγῶν καὶ χαριζόμενος τοῖς πολλοῖς κ. τ. λ. Cf. Lehrbuch cit. §. 28, not. 4.

amplificandae rei causa adjecisse quam a vetustis auctoribus ita accepisse videatur, illud tamen inde lucrabimur, ut non solum novus testis Herodoto de turbis veterum Lacedaemoniorum accedat, verum etiam perspicue intelligamus causas harum turbarum in ea ratione positas fuisse, quae inter reges et populum intercederet; hanc igitur jam clarius examinari opus erit, ut et quomodo turbari potuerit appareat et ad ipsam turbarum explicationem via muniatur.

III.

Dudum significavi 37) non meliorem viam inveniri ad elementa rei publicae Laconicae recte existimanda, quam si ad Homericae aetatis condicionem respexerimus, cujus imaginem haud scio an nulla magis inter historici temporis civitates repraesentet, neque ea re deterreor, quod Megillus Laco apud Platonem 38) Ionicam potius quam Doricam vitam apud Homerum describi ait; hoc enim ad privatos tantum mores inque primis Odysseam spectat, quam ipsam multi intellexerunt serioris aetatis speciem molliorem ac mansuetiorem referre 39); Iliadis autem disciplinam militarem nostro jure, opinor, cum pristina illa vita castrensi comparabimus, quam Dorienses usque ad Peloponnesi occupationem degisse consentaneum

37) Lehrbuch cit. praef. ed. I, p. XI.

38) Legg. III, p. 689 C: *ἡμεῖς δ' αὖ χρώμεθα μὲν καὶ ἔοικέ γε κρατεῖν τῶν τοιούτων ποιητῶν, οὐ μέντοι Λακωνικόν γε ἀλλά τινα μᾶλλον Ἰωνικὸν βίον διεξέρχεται ἑκάστοτε.*

39) Cf. Nitzsch. in Allg. Encykl. d. Künste u. Wissensch. Sect. III, T. I, p. 405; Welcker. ep. Cykl. p. 295; Payne-Knight. prolegg. ad Homerum p. 38-42; Gruppii Ariadne p. 662; Petersen in Hall. A. L. Z. 1838, E. bl. N. 37, p. 295.

est [40]), neque intelligeremus, quomodo aut Lycurgus carmina Homerica Spartam transtulerit [41]), aut posteriori tempore quicunque Graecorum instituta ad priscam simplicitatem revocare studerent, in Spartam potissimum oculos conjecerint [42]), nisi hanc omnium minime ab heroicae antiquitatis indole recessisse judicarent. Illud tantum discriminis, si quis objecerit, inter utrumque genus obtinere concesserim, ut Achivi Homerici per aliquantum modo temporis, donec hostem profligassent, parco illo duroque victu usi sint, Dorienses autem, quibus per multa saecula migrandum perpetuisque pugnis novas semper sedes quaerendum fuisset, eandem vitam adeo in succum et sanguinem converterint, ut et feminae pariter cum maribus ad eam instituerentur, et universus populus, quod idem postea Lycurgus instauravit, ne pacato quidem tempore castrenses ritus atque una coenandi consuetudinem deponeret [43]); attamen id nostra quidem nihil refert, qui hoc solum quaerimus, ut Homericorum carminum

40) *Ἔθνος πολυπλάνητον κάρτα*, Herodot. I. 56.

41) Plut. V. Lycurg. c. 4: *ἐκεῖ δὲ καὶ τοῖς Ὁμήρου ποιήμασιν ἐντυχὼν πρῶτον ὡς ἔοικε . . καὶ κατιδὼν ἐν αὐτοῖς τῆς πρὸς ἡδονὴν καὶ ἀκρασίαν διατριβῆς τὸ πολιτικὸν καὶ παιδευτικὸν οὐκ ἐλάττονος ἄξιον σπουδῆς ἀναμεμιγμένον ἐγράψατο προθύμως καὶ συνήγαγεν ὡς δεῦρο κομιῶν*: cf. Aelian Var. Hist. XIII. 14 quosque laudavi in Lehrbuch cit. §. 26, n. 14.

42) Xenoph Mem. Socr. III. 5. 14; cf. Plat. Lach. p 288 D: *τῷ ὄντι ζῆν ἡρμοσμένος αὐτὸς αὑτοῦ τὸν βίον σύμφωνον τοῖς λόγοις πρὸς τὰ ἔργα ἀτεχνῶς δωριστὶ . . ἥπερ μόνη Ἑλληνική ἐστιν ἁρμονία.*

43) Isocr. Archid. §. 81: *τῶν Ἑλλήνων διενηνόχαμεν οὐ τῷ μεγέθει τῆς πόλεως οὐδὲ τῷ πλήθει τῶν ἀνθρώπων, ἀλλ' ὅτι τὴν πολιτείαν ὁμοίαν κατεστησάμεθα στρατοπέδῳ καλῶς διοικουμένῳ καὶ πειθαρχεῖν ἐθέλοντι τοῖς ἄρχουσι*: cf. Xenoph. Rep. Lac. V. 2: *Λυκοῦργος τοίνυν παραλαβὼν τοὺς Σπαρτιάτας ὥσπερ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας οἴκοι σκηνοῦντας . . εἰς τὸ φανερὸν ἐξήγαγε τὰ συσκήνια*, hoc est *συσσίτια*, sicuti contra apud Aristoph. Vesp. 577 *σύσσιτοι* iidem qui *σύσκηνοι*. Adde Plat. Republ III, p. 416 E.

comparatione aliquid de ea ratione colligamus, quam ante Lycurgum inter reges Lacedaemoniorum et populum intercessisse verisimile sit, eoque facto etiam reliquam priscarum illarum rerum publicarum fortunam ad explicandas turbas conferamus, unde hujus legum lationis necessitatem prodiisse audimus. Neque ea, quae Lycurgum regibus reliquisse potius quam concessisse legimus [44]), ab iis aliena sunt, quae priscorum regum in universum propria et peculiaria fuisse traduntur; quorum quum triplex potissimum munus fuisse Aristoteles narret, ut et belli duces essent et judicia exercerent et res sacras procurarent [45]), eodem exemplo Spartanorum reges primum quidem militare imperium nullis fere finibus adstrictum etiam posterius gerebant [46]), deinde sacerdotiis duobus Jovis Lacedaemonis et Caelestis fungebantur et singulis mensibus Apollini sacra publice faciebant [47]), quaeque aliis in civitatibus ad ipsos sacerdotes redibant, hostiarum omnium pelles accipiebant [48]); jus denique non modo

44) Cf Müller. Dor. T. II, p. 97 sqq. Schömann. antiqu. jur. publ. Graec. p. 124 sqq.

45) Aristot. Pol. III. 9. 7 et 10. 1: *στρατηγὸς γὰρ ἦν καὶ δικαστὴς ὁ βασιλεὺς καὶ τῶν πρὸς τοὺς θεοὺς κύριος*: cf. Stob. serm. XLVIII. 61 et C. J. Helbigii librum: die sittlichen Zustände des griechischen Heldenalters, Lips. 1839. 8, p 60.

46) Herod. VI. 56: *καὶ πόλεμόν γε ἐκφέρειν ἐπ' ἣν ἂν βούλωνται χώρην, τούτου δὲ μηδένα εἶναι Σπαρτιητέων διακωλυτήν, εἰ δὲ μή, αὐτὸν ἐν τῷ ἄγεϊ ἐνέχεσθαι*: cf. Xenoph. Rep. Lac. XIII. 1 et XV. 2.

47) Herod. ibidem: *γέρεα δὲ δὴ τάδε τοῖσι βασιλεῦσι Σπαρτιῆται δεδώκασι, ἱρωσύνας δύο, Διός τε Λακεδαίμονος καὶ Διὸς Οὐρανίου*: adde c. 57: *νεομηνίας δὲ ἀνὰ πάσας καὶ ἑβδόμας ἱσταμένου τοῦ μηνὸς δίδοσθαι ἐκ τοῦ δημοσίου ἱρήιον τέλεον ἑκατέρῳ ἐς Ἀπόλλωνος*, inque universum Xenoph. Rep. Lac. XV. 2: *ἔθηκε γὰρ θύειν μὲν βασιλέα πρὸς τῆς πόλεως τὰ δημόσια ἅπαντα ὡς ἀπὸ τοῦ θεοῦ ὄντα κ. τ. λ.*

48) Cf. Boeckh. Staatsh. d. Ath. T. II, p. 249; C. Inscr. T. I, p. 251; Ind. lectt. Berol 1835-36, p. 6.

ipsi etiam posterius de rebus ad hereditates familiarumque propagationem pertinentibus dicebant [49]), verum etiam ephoros, qui de ceteris causis privatis et civilibus judicabant [50]), quasi sui vicarios constituebant [51]), neque dubitari potest quin, antequam Lycurgus summam rerum ad senatum transtulisset, capitalium quoque causarum cognitio, quam ille senatoribus tradidit, eodem jure quo apud reliquas gentes antiquissimas [52]) penes reges fuerit. Quid quod ipse senatus, in quo jure meritoque summum Lycurgi meritum cardoque rei publicae ab illo constitutae ponitur [53]), non ipsius demum ingenio excogitatus neque ex sola Creta repetitus erat, sed nomine pariter et officio nos ad illa senum et principum consilia remittit, quorum usu et auctoritate jam heroicae aetatis reges tam in judiciis habendis quam in aliis rebus gravissimis administrandis adjutos esse constat [54]); plebis autem Spartanae ne posteriori quidem tempore multo majores partes in gerenda re publica fuisse videntur, quam concionum Homericarum [55]), quibuscum Spartanorum ἐκκλησίαι et illud

49) Herod. l. c. 57: δικάζειν δὲ μούνους τοὺς βασιλῆας τοσάδε μοῦνα· πατρούχου τε παρθένου πέρι, ἐς τὸν ἱκνέεται ἔχειν, ἢν μή περ ὁ πατὴρ αὐτὴν ἐγγυήσῃ, καὶ ἤν τις θετὸν παῖδα ποιέεσθαι ἐθέλῃ.

50) Aristot. Pol. III 1. 7.

51) Plut. apophth. Lace. T. VIII, p. 197: διὰ τί οἱ ἔφοροι τοῖς βασιλεῦσιν οὐχ ὑπεξανίστανται καὶ ταῦτα ὑπὸ τῶν βασιλέων καθιστάμενοι; cf. V. Cleom. c. 10: τοὺς βασιλεῖς διὰ τὰς στρατείας ἀσχόλους ὄντας αὐτοὺς πρὸς τὸ κρίνειν αἱρεῖσθαί τινας ἐκ τῶν φίλων καὶ ἀπολείπειν τοῖς πολίταις ἀνθ' ἑαυτῶν, ἐφόρους προσαγορευθέντας, πρῶτον ὑπηρέτας τῶν βασιλέων ὄντας κ. τ. λ.

52) Cf. Rubino Unters. üb. röm. Verfassung, Cass. 1839. 8, T. I, p. 474.

53) Plat. legg. III, p. 692 A; Plut. V. Lycurg. c. 5.

54) Γέροντες βουλευταί, Iliad. VI. 113; cf. II. 404 pluraque apud Terpstram antiqu. Homer. p. 64, Schömann. antiqu. jur. publ. p. 68, Helbigium l. c. p. 64 etc.

55) Cf. Lehrbuch cit. §. 55, n. 14 et Helbig. p. 68 sq.

commune habent, quod non in suffragia mittuntur sed clamore et strepitu sententias suas declarant [56]), neque oratores aliunde nisi ex magistratuum numero prodeuntes videmus, reliqua multitudo ad audiendum tantum non ad deliberandum convocatur [57]); quod etsi Lycurgus etiam populi jura, ut inferius videbimus, certioribus finibus descripsit, quaeque prius more tantum et consuetudine recepta fuerant, lege et pactione confirmavit, ante illum certe hujus quoque condicionis imaginem ex nullo potiori fonte quam ex communi Homericae aetatis forma hauriemus [58]). Atqui nec regum constat illa aetate eam potestatem fuisse, ut omnia ex arbitrio suo gerere populoque quidquid animus ferret imperare impune possent: qui quum imperium divinitus accepisse crederentur [59]), ipsi quasi a divina sua origine degenerare videbantur, nisi prisca jura moresque majorum, quos vel posterior aetas velut coelitus traditos scripta lege sanctius colebat [60]), religiose servarent, tantumque aberat ut quidquid populi esset in ipsorum usus converti liceret, ut hac potissimum re hereditaria regna ab illegitimis tyrannorum dominationibus distinguan-

56) Thuc. I. 87: *κρίνουσι γὰρ βοῇ καὶ οὐ ψήφῳ*: cf. Iliad. II. 333: *ὣς ἔφατ', Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον . . μῦθον ἐπαινήσαντες Ὀδυσσῆος θείοιο.*

57) Cf. Lehrbuch §. 25, n. 5 et Schömannum de eccl. Lacedaemoniorum, Gryphisw. 1836. 4.

58) Egregie Müllerus Dor. II, p. 9: *aber bei allem Unterschiede der Stämme, aus denen das griechische Volk bestand, gab es doch in der Entwickelungsgeschichte der griechischen Verfassungen einen* g e m e i n s a m e n *Gang, der auch auf solche, welche frühere Momente mit Anhänglichkeit zum Alten festhielten, einen gewissen Einfluss übte* etc.

59) Hinc *διοτρεφέες, διογενέες, δῖοι*: cf. Nitzsch ad Odyss. I, p. 189.

60) Cf. Lehrbuch cit. §. 5, n. 12 et Dissenii kleine Schriften, Gott. 1839. 8, p. 163 sqq.

tur, quod illorum certa et rata praemia atque honores fuerint 61), denique vel in summo populi obsequio malus rumor et infamia apud multitudinem ab optimo principe maxime extimescebatur 62), superbia autem, quae sola sibi quantum satis esset sapere videretur, vel legitimo regi, ut Charilao vidimus, in tyrannidis opprobrium abibat; his igitur comprehensis jam nunc apparet, quomodo Spartae quoque aliquando accidere potuerit, quod in plerisque Graeciae civitatibus usu venisse constat 63), ut turbatis finibus, quibus regum et populi jura prisco more continebantur, aut communis omnium libertas aut potestas regia in discrimen adduceretur, neque quidquam ad hanc rem propius intelligendam superest, nisi ut singularem illam condicionem persequamur, quo civitatem eo quo diximus modo constitutam per fortunam bellicam et occupationem Peloponnesi adductam esse aut certis veterum testimoniis aut ipsa rei natura colli-

61) Thucyd. I. 13: *πρότερον δὲ ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι*: cf. Diog. L. I. 53: *ὅπερ καὶ τοῖς πρὶν βασιλεῦσιν ἦν τὰ ῥητὰ γέρα*, pluraque apud Platnerum de notion. juris et justitiae ex Homeri et Hesiodi carminibus, Marb. 1819. p. 93–102, imprimis autem Aristot. Politic. III, 10. 1: *μία μὲν (βασιλεία) ἡ περὶ τοὺς ἡρωικοὺς χρόνους· αὕτη δ' ἦν ἑκόντων μὲν, ἐπί τισι δὲ ὡρισμένοις*, geminumque locum Dionys. Hal. V. 74, ubi hoc ipsum genus ad Lacedaemoniorum rempublicam transfertur: *καὶ μέχρι πολλοῦ διέμειναν ἐπὶ ῥητοῖς τισιν αἱ βασιλεῖαι διοικούμεναι, ὥσπερ ἡ Λακεδαιμονίων.*

62) Nitzsch ad Odyss. T. II, p. 125: *die Scheu vor übeler Nachrede ist die grösste moralische Macht, welche die homerische Menschenwelt anerkennt; sie hält mehr als Scheu vor den Göttern auch von schwerem Frevel ab etc.*

63) Aristot. Pol. V. 8. 22: *φθείρεται δὲ βασιλεία κατὰ δύο τρόπους, ἕνα μὲν στασιασάντων τῶν μετεχόντων τῆς βασιλείας, ἄλλον δὲ τρόπον τυραννικώτερον πειρωμένων διοικεῖν, ὅταν εἶναι κύριοι πλειόνων ἀξιῶσι καὶ παρὰ τὸν νόμον*: cf. Dionys. Hal. V. 74: *ἀρξαμένων δὲ τούτων ἐν ταῖς ἐξουσίαις πλημμελεῖν καὶ νόμοις μὲν ὀλίγα χρωμένων, ταῖς δ' αὑτῶν γνώμαις τὰ πολλὰ διοικούντων, δυσχεράναντες ὅλον τὸ πρᾶγμα οἱ πολλοὶ κατέλυσαν μὲν τὰς βασιλείας κ. τ. λ.*

gamus. Et illud quidem, quod jam pridem ad vindicandam illustrandamque agrorum divisionem a Lycurgo factam adhibuimus [64]), nunc praetereuntes tantum attingimus consentaneum fuisse, ut statim ab initio pares singulis agrorum portiones assignarentur [65]), quas qui eo usque incoluissent veteres sive Achaei sive Leleges [66]), in servitutem redacti eosdem agros pro novis dominis colere horumque necessitatibus ex illorum proventu subvenire cogebantur; gravior vero quaestio est de liberis occupatae terrae incolis, quos quum vulgo narrent [67]) voluntarii obsequii hoc praemium tulisse, ut tributo imposito et aliqua juris parte demta ceteroquin suis moribus viverent Spartanorumque imperium in re militari tantum aliisque certis muneribus paterentur [68]), id ipsum alii Ephorum secuti Agide demum

---

64) In disp. de causis turbatae apud Lacedd. agrorum aequal. p. 21; cf. Jahrbb. f. wissensch. Kritik 1837. T. II, p. 256.

65) Plat. legg. III, p. 684 E: *οὐκ ἦν τοῖς νομοθέταις ἡ μεγίστη τῶν μέμψεων, ἰσότητά τινα αὐτοῖς κατασκευάζουσι τῆς οὐσίας, ἥπερ ἐν ἄλλαις νομοθετουμέναις πόλεσι πολλαῖς γίγνεται . . . τοῖς δὲ δὴ Δωριεῦσι καὶ ταῦθ' οὕτως ὑπῆρχε καλῶς καὶ ἀνεμεσήτως γῆν τε ἀναμφισβητήτως διανέμεσθαι καὶ χρέα μεγάλα καὶ παλαιὰ οὐκ ἦν*: cf. V, p. 736 D et disp. de vestig. instit. vett. per Plat. legg. indagandis p. 27, ubi etiam Lachmanni levitati occurri, qui in libro: die spartan. Staatsv. in ihrer Entwickelung etc. Vratisl. 1836. 8, p. 170 illum locum in contrariam sententiam detorserat.

66) Cf. Lewis in Philol. Mus. Cantabr. T. II, p. 45: *it is moreover highly probable, that the Helots of the Spartans were formed partly of a slave population which had tilled the lands of the Achaeans, and merely changed masters, partly of a portion of these same Achaeans, who had resisted the Spartans, and who from being taken with arms in their hands, were called εἵλωτες or prisoners etc.*

67) Barthel. voy. d'Anach. ch. 42, T. IV, p. 60: *les villes qui consentirent à cet arrangement, conservèrent leur liberté; celle de Helos résista, et bientôt forcée de céder, elle vit ses habitans presque reduits à la condition d'esclaves;* cf. Wachsmuth. hellen. Alterthumskunde T. I, P. 1, p. 217: *milderes Loos erlangten die minder starr gegenstrebenden.*

68) Cf. Lehrbach cit. §. 19 et Schömann. antiqu. jur. publ. p. 113.

rege factum esse tradunt, quum amissa immunitate, qua initio pari cum Doriensibus jure usi essent, Helotibusque vi et armis ad obsequium coactis, hi sponte sua jugum subiissent 69), alii vero statim a principio illos in servitutem redactos, hos foedere et pactione in fidem receptos esse volunt 70), neque negari potest in vulgari narratione, qualem Strabo servavit, multa inesse quae et inter se et cum aliis veterum testimoniis insigniter pugnare videantur 71). Nam ut mittam Helotum nomen ab initio omnibus priscis incolis commune fuisse dici, quod plerique veteres a capta demum urbe rebelli ad reliquos servilis condicionis homines translatum ajunt 72), ipsam

69) Strabo VIII, p. 364: *φησὶ δ' Ἔφορος καὶ τοὺς κατασχόντας τὴν Λακωνικὴν Ἡρακλείδας, Εὐρυσθένη τε καὶ Προκλῆ, διελεῖν εἰς ἓξ μέρη καὶ πολίσαι τὴν χώραν . . τὴν δὲ Σπάρτην βασίλειον ἀποφῆναι σφίσιν αὐτοῖς, εἰς δὲ τὰς ἄλλας πέμψαι βασιλέας, ἐπιτρέψαντας δέχεσθαι συνοίκους τοὺς βουλομένους τῶν ξένων διὰ τὴν λειπανδρίαν . . ὑπακούοντας δὲ ἅπαντας τοὺς περιοίκους Σπαρτιατῶν ὅμως ἰσονόμους εἶναι, μετέχοντας καὶ πολιτείας καὶ ἀρχείων, καλεῖσθαι δὲ Εἵλωτας· Ἆγιν δὲ τὸν Εὐρυσθένους ἀφελέσθαι τὴν ἰσονομίαν καὶ συντελεῖν προστάξαι τῇ Σπάρτῃ· τοὺς μὲν οὖν ἄλλους ὑπακοῦσαι, τοὺς δ' Ἑλείους τοὺς ἔχοντας τὸ Ἕλος ποιησαμένους ἀπόστασιν κατὰ κράτος ἁλῶναι πολέμῳ καὶ κριθῆναι δούλους κ. τ. λ.*

70) Müller Dor. T. II, p. 21: *Indessen scheinen Verträge das Verhältniss zwischen Doriern und Achäern genauer bestimmt zu haben, da jene nur langsam die Oberhand gewinnend, den Beitritt jeder Stadt gewiss gern mit billigen Verwilligungen erkauften;* cf. etiam Plass. Gesch. d. alten Griechenlands T II, p. 27.

71) Cf. Müller Dor. T. I, p. 91 sqq. Lewis in Mus. Cantabr. T. II, p. 89 sqq.

72) Harpocr. p. 93: *Εἵλωτες γὰρ οἱ μὴ γένει δοῦλοι Λακεδαιμονίων, ἀλλ' οἱ πρῶτοι χειρωθέντες τῶν Ἕλος τὴν πόλιν οἰκούντων, ὡς ἄλλοι τε πολλοὶ μαρτυροῦσι καὶ Ἑλλάνικος ἐν τῇ πρώτῃ:* cf Pausan. III. 20. 9: *καὶ πρῶτοί τε ἐγένοντο οὗτοι Λακεδαιμονίων δοῦλοι τοῦ κοινοῦ καὶ Εἵλωτες ἐκλήθησαν πρῶτοι, καθάπερ γε καὶ ἦσαν· τὸ δὲ οἰκετικὸν τὸ ἐπικτηθὲν ὕστερον ὀνομασθῆναι καὶ τούτους ἐξενίκησεν Εἵλωτας:* neque ipse Ephorus hanc originationem ignorasse aut rejecisse videtur, qui licet universos perioecos *Εἵλωτας* dictos narret oppidique incolas *Ἑλείους* potius appellet, bellum tamen quod contra hos gestum fuerit *τὸν πρὸς τοὺς Εἵλωτας πόλεμον* vocat et *τὴν εἱλωτείαν*, inquit, *τὴν ὕστερον συμμείνασαν μέχρι τῆς Ῥωμαίων ἐπικρατείας, οἱ περὶ Ἆγιν εἰσὶν οἱ καταδείξαντες.*

illam urbem Pausanias non ab Agide ejusve aequali Soo [73]), sed plus quam ducentis annis posterius ab Alcamene rege expugnatam narrat [74]), eademque causa est aliorum Laconicae oppidorum, quae quum ex Ephori narratione ab initio omnia Doriensibus paruisse consentaneum foret, secundum alios aliquot demum saeculis post in Spartanorum dicionem pervenerunt; postremo si vel maxime concedamus, quod plurimi harum rerum scriptores arripuerunt, illa oppida pariter atque Helos amissae libertatis desiderio inter ipsas Spartanorum turbas defecisse nec nisi corroborata per Lycurgum re publica iterum subjecta esse [75]), nihilo minus apparet victoribus statim post occupationem terrae et agris opus fuisse unde victitarent, et hominibus, quorum opera illi agri colerentur, neque exspectari potuisse donec iterata defectione quasi jus adipiscerentur victos in servitutem redigendi: quod si hoc certe contra ipsam rei naturam Ephorus tradidit, de reliquis quoque dubitandi causas fuisse non infitiamur. Ne tamen veteris scriptoris auctoritatem temere spernamus eumque iis, quae illius levitas deformavit, simul etiam antiquam memoriam rejiciamus, quae vel detortis depravatisque narrationibus plerumque subest, primum quidem animadvertamus ea, quae Ephorus de peregrinis in civitatem receptis narrat, etiam ab Aristotele confirmari, qui Lacedaemonios ait sub primis regibus

73) Plut. Lycurg. c. 4: ἐφ' οὗ καὶ τοὺς Εἵλωτας ἐποιήσαντο δούλους οἱ Σπαρτιᾶται.

74) Paus. III. 2. 7: ἀνέστησαν δὲ καὶ Ἕλος ἐπὶ θαλάσσης πόλισμα Ἀχαιῶν ἐχόντων καὶ Ἀργείους τοῖς Ἑλείοις ἀμύναντας μάχῃ νικῶσιν.

75) Cf. Clavier hist. d. prem. tems de la Grèce T. II, p. 168; Manso Sparta T. I, p. 68 etc.

civitatem suam cum multis hominibus communicasse eaque re effecisse, ne inter tanta bella, quibus tum premerentur, hominum inopia laborarent [76]; tum autem quod ille de juris aequalitate memorat, qua reges conditores etiam priscos Laconicae incolas cum Doriensibus comprehenderint, quamvis primo adspectu absonum videatur [77], aliquid tamen fidei ex ceterarum civitatum, quarum similis origo fuit, comparatione accipit, ubi legimus et Corinthi veteres reges, imperio tantum ad Aleten translato, pristinas sedes retinuisse [78], et Sicyone atque Argis praeter tres Doriensium tribus quartam indigenarum exstitisse [79], Messeniorum denique primum regem Cresphontem, agros amice cum indigenis partitum, eandem quam Proclem et Eurysthenem invidiam incucurrisse, quasi rem publicam in subditorum gratiam administraret [80]; quibus omnibus inter se col-

76) Aristot. Pol. II. 6. 12: *λέγουσι δὲ, ὡς ἐπὶ μὲν τῶν προτέρων βασιλέων μετεδίδοσαν τῆς πολιτείας, ὥστ' οὐ γίνεσθαι τότε ὀλιγανθρωπίαν, πολεμούντων πολὺν χρόνον.*

77) Sic Lewis l. c. p. 44: *it is so hard to believe that a conquering aristocracy should have willingly admitted the natives to such privileges as Ephorus describes, or that their admission should have been followed by no dangerous consequences to the Spartans, that it seems much safer to reject the statements of Ephorus etc.*

78) Pausan. II. 4. 3: *Δωρίδας μὲν οὖν καὶ Ὑανθίδας παραδόντες τὴν βασιλείαν Ἀλήτῃ καταμένουσιν αὐτοῦ, τῶν δὲ Κορινθίων ὁ δῆμος ἐξέπεσεν ὑπὸ Δωριέων κρατηθεὶς μάχῃ*: ubi eadem quo Spartae modo primum voluntarium obsequium, mox bellum et victoriam armis relatam invenimus.

79) Cf. Lehrbuch cit. §. 20, n. 4.

80) Pausan. IV. 3. 3: *Μεσσηνίων δὲ τῶν ἀρχαίων οὐκ ἐγένετο ὑπὸ τῶν Δωριέων ὁ δῆμος ἀνάστατος, ἀλλὰ βασιλεύεσθαί τε συνεχώρησαν ὑπὸ Κρεσφόντου καὶ ἀναδάσασθαι πρὸς τοὺς Δωριέας τὴν γῆν· διανεμόμενον δὲ αὐτὸν τὰ πολλὰ ἐς χάριν τοῦ δήμου, μᾶλλον οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες αὐτόν τε Κρεσφόντην ἐπαναστάντες καὶ τοὺς υἱοὺς ἀποκτείνουσι τοὺς λοιπούς*: cujus testimonio egregie confirmantur, quae ex eodem Ephoro de prisco Messeniorum statu narrat Strabo VIII,

latis haud scio an cautius ita versaturi simus, ut illa ipsa, quae in hac narratione pugnare cum populi victoris moribus et aliarum gentium exemplis videantur, inter earum turbarum causas referamus, quibus non Spartam modo, verum etiam alias Doriensium civitates eadem aetate laborasse Cresphontis exemplo clarissime intelligimus.

IV.

Quippe ut statim sententiam meam aperiam, vix dubito quin civitas illa jurisque aequalitas, qua cum peregrinis veteribusque terrae incolis communicanda et Cresphontes et gemini Spartanorum reges civium suorum invidiam incucurrisse dicuntur, cum iis turbis, quae non magis Lacedaemoniorum ante Lycurgum quam omnes Doriensium civitates exercuerunt, ita cohaereant, ut reges, qui potestatis suae fines extendere plusque sibi quam a majoribus traditum accepissent auctoritatis arrogare studerent, indigenarum sibi animos conciliare eorumque opera contra ipsos populares suos uti voluerint, donec aut vi aut metu incepto desistere eamque potius rei publicae formam agnoscere cogerentur, in qua caput imperii penes Dorienses

---

p. 361: Ἔφορος δὲ τὸν Κρεσφόντην, ἐπειδὴ εἷλε Μεσσήνην, διελεῖν φησιν εἰς πέντε πόλεις αὐτήν, ὥστε τὴν Στενύκλαρον μὲν ἐν τῷ μέσῳ τῆς χώρας ταύτης κειμένην ἀποδεῖξαι βασίλειον αὐτῷ τῆς βασιλείας· ἐντεῦθεν δὲ Ἰαμίτην πέμψαι πρεσβευτὴν εἰς Πύλον καὶ Ῥίον τοὺς Μεσσηνίους ἅπαντας τοῖς Δωριεῦσιν ἰσονόμους ποιήσοντα· ἀναξιοπαθούντων δὲ τῶν Δωριέων μεταγνόντα μόνην τὴν Στενύκλαρον νομίσαι πόλιν κ. τ. λ.; nam quod Lewis. l. c. arguit Pausaniam agrorum tantum divisionem, non juris similitudinem commemorare, illorum aequabilitas cum hac necessario cohaeret.

esset, reliqui, quamvis libertatem retinerent, tamen ipsa civitatis communione alieno potius quam suo jure viverent. Hoc enim est quod Ephorus ait Agidem Eurysthenis filium ἀφελέσθαι τὴν ἰσονομίαν καὶ συντελεῖν προστάξαι τῇ Σπάρτῃ: unde fiebat, ut quae antea propriae et immunes civitates fuissent, jam in municipiorum, immo pagorum locum detrusae [81]) a communi totius dicionis capite penderent atque ibi demum quasi juris sui sedem et domicilium haberent [82]); quod etsi nihil aliud erat nisi quod in Attica dudum Theseus instituisse ferebatur, quum duodecim oppida unius rei publicae vinculo complecteretur, tamen et illic initio magnum iis, qui ipsam urbem incolerent, pondus addiderat [83]), neque iis facile placebat, qui communi stirpe oriundi multo facilius inter se coi-

---

81) V. Strab. VIII, p. 363: καὶ κώμη Ἕλος, πρότερον δ' ἦν πόλις, inque universum Isocr. Panath. §. 179: ὀνόματι μὲν προσαγορευομένους ὡς πόλεις οἰκοῦντας, τὴν δὲ δύναμιν ἔχοντας ἐλάττω τῶν δήμων τῶν παρ' ἡμῖν: cf. Aristot. Poet. III, 6: οὗτοι μὲν γὰρ (οἱ ἐν Πελοποννήσῳ) κώμας τὰς περιοικίδας καλεῖν φασίν, Ἀθηναῖοι δὲ δήμους.

82) Sic Thucyd. IV, 76: Χαιρώνειαν δέ, ἣ ἐς Ὀρχομενὸν τὸν Μινύειον πρότερον καλούμενον νῦν δὲ Βοιώτιον ξυντελεῖ, quod Göllerus secundum Müller. Orchom. p. 403 ita explicat: *Chaeroneam et suum agrum habuisse et suis legibus usam esse, tributa tamen et arma cum ea ferre per necessariam societatem obstrictam fuisse, nec suo nomine misisse legatos ad concilia foederis Boeotici;* ceteroquin recte, de suis *legibus* valde dubito, siquidem αὐτονομίαν prorsus alienam fuisse a συντελείᾳ clarissime ostendit Boeotorum exemplum, quos quum Thebani, ut Diodori verbis utar (XV, 50) συνεῖχον ἐν τῇ καθ' αὑτοὺς μιᾷ συντελείᾳ (cf. etiam c. 38: τὴν Βοιωτίαν ἅπασαν ὑπὸ τὴν τῶν Θηβαίων συντέλειαν ταττόντων) non magis quam Lacedaemoniorum perioecos suo jure usos esse apparet ex Plut. V. Agesil. c. 28: ὁρῶν οὖν ὁ Ἀγησίλαος ὑπερφυῶς ἀγαμένους καὶ προσέχοντας αὐτῷ τοὺς Ἕλληνας, ἠρώτησεν εἰ νομίζει δίκαιον εἶναι καὶ ἴσον αὐτονομεῖσθαι τὴν Βοιωτίαν· ἀντερωτήσαντος δὲ τοῦ Ἐπαμεινώνδου ταχὺ καὶ τεθαρρηκότως, εἰ κἀκεῖνος δοκεῖ δίκαιον εἶναι αὐτονομεῖσθαι τὴν Λακωνικήν, ἀναπηδήσας ὁ Ἀγησίλαος μετ' ὀργῆς ἐκέλευσε σαφῶς λέγειν αὐτόν, εἰ τὴν Βοιωτίαν ἀφήσει αὐτόνομον κ. τ. λ. Cf. et Lehrbuch cit. §. 181, n. 3.

83) Etymol. M. p. 395. 50: εὐπατρίδαι ἐκαλοῦντο οἱ αὐτὸ τὸ ἄστυ οἰκοῦντες.

bant [84]), nedum iis qui quum belli tantum jure cum victoribus coaluissent, quidquid aut consiliorum aut judiciorum exerceretur, ex illorum voluntate et arbitrio potius quam e re communi fieri exspectare poterant. Et longe certe aliud tam Cresphontes in Messenia quam Eurysthenes Proclesque in Laconica instituerunt, quorum utrosque audimus ante omnia illud egisse, ut totam regionem in certas partes civitatesque distribuerent [85]), quas consentaneum est quamquam communi foedere junctas suo quamque jure usas esse, neque aliorsum refero quod Ephorus addit Spartae regni sede constituta in reliquas partes et ipsos regali nomine missos esse, quos profecto non magis quam posteriori aetate [86]) mitti necesse erat,

---

84) Sic frustra Thales jusserat *ἓν βουλευτήριον Ἴωνας ἐκτῆσθαι . . τὰς δὲ ἄλλας πόλιας οἰκεομένας μηδὲν ἧσσον νομίζεσθαι κατάπερ εἰ δῆμοι εἶεν*: Herod. I. 170.

85) Hanc enim vim esse ejus quod ex Ephoro Strabo narrat *διελεῖν εἰς ἓξ μέρη καὶ πολίσαι τὴν χώραν* (not. 69) ex simili Cresphontis instituto prodit, qui Messeniam *εἰς πέντε πόλεις* distribuit (not. 80), neque inde sequitur quod Lewisius reprehendit l. c. p. 42: *nothing would be more impolitic than to strengthen the country with fortresses, a measure never adopted by the arbitrary princes of Greece;* quamquam haud renuerim si quis Strabonis verba omnino corrupta atque ita corrigenda censeat, ut pro *πολίσαι* potius *πόλεις* cum quacunque demum nota numerali legamus. Possis etiam *πόλεις ἴσας*, ut pariter atque in Messenia *totidem* civitates quot portiones constitutae fuerint; nam quod *ἑκατόμπολις* Laconica appellatur (Strabo VIII, p. 362; Steph. Byz. passim) ad posteriorem aetatem spectat.

86) Lachmanni hariolationibus, qui (spartan. Staatsv. p. 180 sqq) sex illas provincias, quas Strabonis verba jam ab Agide inde antiquatas esse docent, ad posteriora tempora refert, singulisque partibus binos harmostas praeficit, quos post Messeniam occupatam viginti numero fuisse vult (p. 184), jam in Annal. crit. Berol. p. 244 occurri, nollemque etiam Schömannum sibi (antiqu. jur. publ. p. 118) de magistratibus per oppida perioecorum dimissis persuasisse. *Κυθηροδίκου* certe prorsus singularis ratio est, ac si vel maxime concedam viginti illos Lacedaemoniorum harmostas, quos schol. Pind. Olymp. VI.

nisi suam quemque portionem antiquis moribus et peculiari norma regere voluissent; quod autem pergit his permissum esse ut quemcunque peregrinum vellent in civitatem reciperent, non magis ad exteros refero quam ineptum illud advenarum nomen, quibus idem alio loco (cf. not. 17) sive Proclem sive Eurysthenem imperium suum firmasse narrat, sed utroque hominum genere priscos incolas significari arbitror [87]), quos quamvis eosdem fines incolentes tamen

---

154 in explicanda scytalae natura commemorat, ad ipsam potius Laconicam quam ad exterarum urbium rectores spectare, horum quoque militarem tantum potestatem fuisse recte Kortumius (zur Gesch. hellen. Staatsv. p. 69) animadvertit, in perioecos autem ipsos Spartanorum magistratus vim judiciariam exercuisse confirmat Isocr. Panath. §. 181: *τῶν γὰρ οὕτω μὲν ἐξ ἀρχῆς δεινὰ πεπονθότων, ἐν δὲ τοῖς παροῦσι καιροῖς χρησίμων ὄντων, ἔξεστι τοῖς ἐφόροις ἀκρίτους ἀποκτεῖναι τοσούτους ὅσους ἂν βούλωνται*, quodque in contrariam partem affert Haasius ad Xenoph. Rep. Lac. p. 286 ex Plat legg. I, p. 637 A: *καὶ οὔτ' ἂν ἐπ' ἀγρῶν ἴδοις οὔτ' ἐν ἄστεσιν ὅσων Σπαρτιάταις μέλει συμπόσια . . οὐδ' ἔστιν ὅστις ἂν ἀπαντῶν κωμάζοντί τινι μετὰ μέθης οὐκ ἂν τὴν μεγίστην δίκην εὐθὺς ἐπιθείη*, tantum abest ut peculiares judices circa oppida agrosque fuisse ostendat, ut illud potius confirmet, quod Xenophon ipse VI 1 et Dionys. Hal. exc. arch. Rom. XX. 2 tradunt Lacedaemonios omnino majoribus natu permisisse *τοὺς ἀκοσμοῦντας τῶν πολιτῶν ἐν ὅτῳ δή τινι τῶν δημοσίων τόπων ταῖς βακτηρίαις παίειν*.

87) Liceat hic repetere quae in Ann. crit. cit. p. 237 in eandem sententiam disputavi: *der Augenschein lehrt, dass die ἐπήλυδες ἄνθρωποι, durch deren Aufnahme Eurysthenes und Prokles sich mächtig und dadurch verhasst gemacht haben sollen, und die ξένοι, die sie διὰ τὴν λειπανδρίαν συνοίκους δέχεσθαι ἐπέτρεψαν, eine und dieselbe Menschenclasse ist, und Ephorus nur den Ausdruck ξένοι, den er wahrscheinlich in seiner Quelle gefunden hatte, durch ἐπήλυδες erklärte, obschon ξένοι nach spartanischem Sprachgebrauche auch jeden eingeborenen Nichtspartiaten bezeichnet zu haben scheint*, cf. Xenoph. Hell. V, 3, 9 et Plut. inst. Lace. T. VIII, p 252. Illud tantum, quod ibidem p. 238 posueram, jam superius pag. 22 retractavi, ubi Aristotelis quoque locum, quem in disp. de Homoeis p. 11 ad Mothaces retuleram, ad Ephori potius narrationem confirmandam adhibui; exteris autem Spartanos rarissime tantum civitatem suam impertivisse clarissime docent Herod. IX. 35 et Dionys. Hal. II. 17, neque ante Lycurgum novimus nisi unum Minyarum sive Tyrrhenorum exemplum, quos tamen ipsos mox rursus ejecisse inf. not. 119 et 120 videbimus.

et quia alienae stirpis et quia hostes fuerant [88]) ξένους a Doriensibus appellari potuisse constat. His vero ut reges potissimum ad potentiam suam augendam usos esse eoque consilio vel invitis civibus suis illorum jura promovisse suspicer, praeter clarissimum Ephori testimonium et Messeniae exemplo adducor, ubi prorsus similia ab iisdem regibus in plebis gratiam (cf. not. 80) instituta esse legimus, quos Plato narrat immodica cupiditate ad jus fasque violandum instigatos esse (cf. not. 31), et illud me movet, quod etiam posteriori aetate Spartanorum reges magnis quibusdam vinculis cum perioecis conjungebantur, unde facile colligi potest ante Lycurgum, quum nondum arctioribus finibus potestas eorum circumscripta esset, eodem modo quo Homericis regibus integra oppida peculiaria fuisse videntur [89]), Laconicorum quoque maximas opes in perioecorum urbibus constitisse, quorum florem iccirco quibus possent artibus augere studerent. Nimirum et tributum, quod Lacedaemonii hoc est perioeci pendebant, non populo sed regibus Spartanorum solvi dicitur [90]), et agrorum quidquid ipse Lycurgus regibus praecipuum assignaverat, in multis perioecorum oppidis situm fuisse legimus [91]), qua descriptione opponitur τῇ πολιτικῇ χώρᾳ, quae aequis portionibus inter reliquos cives distributa Helotum

88) Her. IX. 11: ξείνους γὰρ ἐκάλεον τοὺς βαρβάρους: cf. Plut. V. Aristid. c. 10 et Seltii librum: die Recuperatio der Römer, Brunsv. 1837. 8, p. 3 sqq.

89) Iliad. IX. 154; Odyss. IV. 175; cf. Müller. Orchom. p. 187 et Helbig. l. c. p. 66 sq.

90) Plat. Alcib. 1, p. 123 A: ἔτι δὲ καὶ ὁ βασιλικὸς φόρος οὐκ ὀλίγος γίγνεται, ὃν τελοῦσιν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοῖς βασιλεῦσι.

91) Xenoph. rep. Lac. XV. 3: καὶ γῆν δὲ ἐν πολλαῖς τῶν περιοίκων πόλεων ἀπέδειξεν ἐξαίρετον τοσαύτην, ὥστε μήτε δεῖσθαι τῶν μετρίων μήτε πλούτῳ ὑπερφέρειν.

manibus colebatur [92]); denique mortuorum regum funera, tanquam ad ipsos pertinerent, omnes perioeci luctu et comitatu prosequi cogebantur [93]); quae quum facile appareat Lycurgum non primum instituisse, sed antiquitus tradita retinuisse et in posterum sanxisse, haud scio an primis post occupationem temporibus, antequam ipsi reges per potestatis suae abusum invidiam et suspicionem civium contra se excitassent, ea ratio obtinuerit, ut quod singulis civibus Helotes, idem regibus perioeci essent horumque illi obsequio et adjumento non minus inter reliquos Dorienses eminerent, quam reges Homericos etiam principibus et ducibus ceteris opulentia et divitiis antecellere videmus. Hanc igitur, quantum in tantis tenebris conjectura assequi licet, primam illarum turbarum originem formamque fuisse haud improbabiliter mihi suspicari videor, ut Doriensium reges simili modo quo post victoriam Persicam Pausaniam videmus, subita fortunae commutatione elati superbierint tantasque subditorum copias nacti, qui toti ab ipsorum nutu et arbitrio penderent, hac ipsa arte cives suos ad illorum condicionem deprimi posse speraverint, ut utrosque jure aequarent, quantumque peregrinorum, hoc

92) Polyb. VI. 45. 3.

93) Herod. VI. 58: *ἐπεὰν γὰρ ἀποθάνῃ βασιλεὺς Λακεδαιμονίων, ἐκ πάσης δεῖ Λακεδαίμονος χωρὶς Σπαρτιητέων ἀριθμῷ τῶν περιοίκων ἀναγκαστοὺς ἐπὶ τὸ κῆδος ἰέναι*: cf. quae de Messeniis post primum bellum in perioecorum condicionem redactis narrant Aelian. Var. Hist. VI. 1 et Pausan. IV. 14. 3: *προείρητο δὲ καὶ ἐπὶ τὰς ἐκφορὰς τῶν βασιλέων καὶ ἄλλων τῶν ἐν τέλει καὶ ἄνδρας ἐκ τῆς Μεσσηνίας καὶ τὰς γυναῖκας ἐν ἐσθῆτι ἥκειν μελαίνῃ, καὶ τοῖς παραβᾶσιν ἐπέκειτο ποινή*, prorsus ut Herodotus quoque paulo ante: *ἀνάγκη*, inquit, *ἐξ οἰκίης ἑκάστης ἐλευθέρους δύο καταμιαίνεσθαι . . μὴ ποιήσασι δὲ τοῦτο ζημίαι μεγάλαι ἐπικέαται*: quod autem Pausanias aliis quoque viris illustribus eundem honorem habitum esse addit, manifesto illud tempus prodit, quo jam senatores adeoque ephori similem cum regibus locum occupaverant.

est veterum terrae incolarum, sibi manus dare atque obsequium praestare vellent, in plenam ac perfectam reipublicae communionem reciperent; Dorienses autem, qui sua virtute communibusque armis tantam regibus potentiam acquisitam meminissent, sibi quoque aliquam ejus partem vindicarint, tandemque victa illorum pertinacia jure meritoque eos, qui Achaeorum potius quam ipsorum reges esse voluissent, e principum suorum serie generisque denominatione sustulerint [94]). Neque illud in hoc rerum decursu addubitaverim, quod ex narrationibus superius memoratis prodit, multos Achaeorum, qui se ex illo regum instituto avitis moribus servatis coalescere cum victoribus posse sperassent, nunc restituta horum praepotentia et ipsos ad pristinam hostilitatem rediisse, donec vi armisque iterum subigerentur; cujus facti simillimum exemplum in Latinorum historia exstat, qui quum sub extremis Romanorum regibus tantam cum populo Romano societatem iniissent, ut quamvis in eo foedere superior Romana res esset, et ipsi secunda hujus fortuna ut participes fruerentur et Tarquinius Superbus vel manipulos ex Latinis Romanisque misceret [95]), Romanorum autem dicio illorum accessione

---

94) Buttmannus quidem in Mythol. II, p. 266 sq. ex illa nominum mutatione, qua Agis et Eurypon pro Eurysthene et Procle regiarum stirpium ἐπώνυμοι facti sunt (Pausan. III. 7. 1; cf. sup. not. 17) colligere sibi videtur, illos viros gentis conditores fuisse, quidquid ultra narretur, inter fabulas relegandum esse; nos vero, quamvis multa in prisca illa memoria turbata sint (cf. Lachmann. l. c. p. 309 sqq), fabulosa tamen etiam primorum illorum regum nomina eo minus censere possumus, quo minus in ea cadere videtur, quod ipse Buttmannus p. 168 recte docet mythica nomina ab historicis ea re distingui, ut significationem cum argumento fabulae conjunctam habeant.

95) Liv. I. 52.

ad Terracinam usque et Circejos extenderetur [96]), mox pulso Tarquinio, quem veri simillimum est hac quoque re suam potius quam communis rei publicae potentiam augere voluisse [97]), ad arma redierunt nec nisi multis post annis ad pristinum obsequium redacti sunt [98]); quod si illud tantum apud Strabonem correxerimus, ut aliquam certe indigenarum partem pariter ut eos Latinorum, quorum ager publicus populi Romani factus esset [99]), statim ab initio in clientelam Helotumque locum pervenisse statuamus, reliqua quae de multorum oppidorum expugnatione posterioribus demum saeculis facta legimus, eo facilius cum ipsius Ephori auctoritate conciliabimus, quo magis consentaneum est Spartanis, quorum, quum Laconicam occuparent, duo tantum millia fuisse traduntur [100]), posterius aucta in tantam

---

96) Insignissimum hujus rei testimonium est foedus M. Junio Bruto et Horatio Coss. cum Karthaginiensibus ictum, unde Polybius III. 22. 11 inter alia etiam haec servavit: *Καρχηδόνιοι δὲ μὴ ἀδικείτωσαν δῆμον Ἀρδεατῶν, Ἀντιατῶν, Λαρεντίνων, Κιρκαιιτῶν, Ταρρακινιτῶν, μηδ' ἄλλον μηδένα Λατίνων, ὅσοι ἂν ὑπήκοοι· ἐὰν δέ τινες μὴ ὦσιν ὑπήκοοι, τῶν πόλεων ἀπεχέσθωσαν, ἂν δὲ λάβωσι, Ῥωμαίοις ἀποδιδότωσαν ἀκέραιον.*

97) Miror quanta fiducia Niebuhrius röm. Gesch. T. II, p. 28 haec coërcendorum Latinorum causa instituta principatumque penes Romanos fuisse narret; longe aliter Livius I. 49: *Latinorum sibi maxime gentem conciliavit, ut peregrinis quoque opibus tutior inter cives esset.*

98) Levesque hist. crit. de la republ. Romaine T. I, p. 70: *Rome, devenue républicaine, mais affaiblie par les suites de la révolution qui l'avait rendue libre, eut besoin de plusieurs siècles de guerre pour recouvrer la puissance qu'elle avait eue sous son dernier roi et dont elle même s'était dépouillée en le chassant.*

99) Niebuhr röm. Gesch. II, p. 187; Huschke über die Stelle des Varro von den Liciniern p. 87; Walter Gesch. d. röm. Rechts p. 38.

100) Isocr. Panath. §. 255: *ἐπειδὴ δὲ πρὸς Ἀργείους καὶ Μεσσηνίους τὴν χώραν διείλοντο καὶ καθ' αὑτοὺς ἐν Σπάρτῃ κατῴκησαν, ἐν τούτοις τοῖς καιροῖς τοσοῦτον φρονῆσαι φησ αὐτούς, ὥστε ὄντας οὐ πλείους τότε δισχιλίων οὐχ ἡγήσασθαι σφᾶς αὐτοὺς ἀξίους εἶναι ζῆν, εἰ μὴ δεσπόται πασῶν τῶν ἐν Πελοποννήσῳ πόλεων γενέσθαι δυνηθεῖεν.*

multitudine quantam Lycurgi aetate cognoscimus, multo majore agro publico Helotumque numero opus fuisse. Quomodo autem factum sit, ut etiam postquam Agis et Eurypon ad civium suorum voluntatem descendissent, missisque patrum suorum conatibus Doriensium jus et imperium in perioecos agnovissent, res publica Lacedaemoniorum tantis motibus conflictaretur, ut usque ad Lycurgum neque ipsi conquiescere neque eos qui defecissent denuo sibi subjicere possent, licet singularia nos vestigia destituant, ex universo tamen rerum statu eo facilius colligi potest, quo minus Lacedaemoniis illud usu venit, quod Romani post exactum Tarquinium Superbum instituerunt, ut tota reipublicae forma mutata omnem pristinae discordiae memoriam tollerent; quodque superius p. 12 ex Plutarcho attulimus, primum quidem plebem propter victoriam de regibus relatam exsultare jamque vicissim sibi plura quam oportebat arrogare coepisse, deinde vero reges in iniquissima hac contentione tum resistendo civium animos exacerbasse tum concedendo et indulgendo ipsos auctoritatem suam minuisse, omnium temporum exemplis ipsique humani generis naturae adeo consentaneum est, ut neque externis testimoniis indigeamus, neque amplioribus suspicionibus opus sit ad explicandum, quomodo, semel turbato per insolitae fortunae novitatem antiqui moris libramento, navigium reipublicae ultro citroque jactari necesse fuerit, donec is ejus gubernaculum arriperet, qui neutri parti addictus suum cuique redderet, nec prisci juris aequilibrium restituisse contentus ipsum quasi trutinae examen tantis vinculis alligaret, ut neutrius lancis ponderi jam quidquam amplius accedere posset.

V.

Ne tamen eos, qui longius etiam in origine hujus status explicando procedendum esse censuerunt, fastidiose repudiasse potius quam consulto reliquisse videamur, illis quidem, qui discordiae causas a regum potissimum duplicitate repetierunt, breviter tantum, etiam si vel maxime concedamus tam antiquam horum simultatem fuisse[101]), nihilo minus et Platonis auctoritatem opponemus, qui hanc ipsam regiae potestatis divisionem salutarem reipublicae fuisse censet (cf. not. 32), et illud jure nostro regeremus vix intelligi, quomodo tyrannicum Charilai regnum dici potuerit (cf. not. 24 et 28), si reges perpetuis altercationibus ad tantam quantam illi volunt imbecillitatem delapsi essent[102]); eorum autem sententiae qui ipsorum

---

101) Notum est quod Herodotus de geminis regni conditoribus ait VI. 52: *τούτους ἀνδρωθέντας αὐτούς τε ἀδελφεοὺς ἐόντας λέγουσι διαφόρους εἶναι τὸν πάντα χρόνον τῆς ζόης ἀλλήλοισι, καὶ τοὺς ἀπὸ τούτων γενομένους ὡσαύτως διατελέειν*: ut enim haud scio an hoc a posteriori demum aetate translatum dicam; unicum certe, quod Manso Spart. T. I, p. 68 ejus rei argumentum affert: *dass sie sich nicht einmal in ihren Kriegen und Unternehmungen gegen das Ausland hülfreiche Hand boten, sondern oft jeder für sich handelten*, nec per se ullam vim habet, quum idem etiam v. c. in Romanorum consulibus usu veniat, et clarissimo ipsius Herodoti testimonio redarguitur, qui Cleomene demum et Damarato regibus institutum esse tradit (V. 75) *μὴ ἐξεῖναι ἕπεσθαι ἀμφοτέρους τοὺς βασιλέας ἐξιούσης τῆς στρατιῆς, τέως γὰρ ἀμφότεροι εἵποντο*: Pausanias autem, qui III, I. 7 eandem famam sequitur: *δίδυμοι δὲ ὄντες διάφοροι τὰ μάλιστα ἦσαν*, tantum abest ut, quod Manso argutatur, unam tantum rem eos in omni vita communiter egisse narret, ut hanc ipsam exceptionem agnoscere cogatur: *προεληλυθότες δὲ ἐπὶ μέγα ἀπεχθείας ὅμως ἐν κοινῷ Θήρᾳ . . συνήρατο εἰς ἀποικίαν.*

102) Sic v. c. Milfordus ex interpr. Eichstadii T. II, p. 298: *Eifersucht entsprang zwischen den beiden Königen; deswegen ward es für jeden nothwendig sich um die Gunst des Volkes zu bewerben, und während in andern griechischen Staaten die Tyrannei des einen Königs das Volk zwang, sich durch gewaltsame Mittel die höchste Macht zu verschaffen,*

civium Spartanorum diversitatem aliquam turbas illas excitasse existimant, eatenus certe occurremus, ut illa veterum testimonia, quibus modo ad stabiliendas regum perioecorumque rationes usi sumus, ab ea interpretatione tueamur, quae alios ad nobilitatem plebemque inter ipsos Dorienses distinguendam induxit [103]. Neque enim negari potest ex duplici illa ratione, quae inter reges et populum Doriensium hosque ipsos victores et Achaeos victos intercessit, ambiguitatem loquendi apud veteres scriptores ortam esse, quae eo proclivior erat, quo magis ipsi Dorienses praeter Spartanos omnes paulatim

---

erhielt es in Lacedämon durch die Nachsicht von zweien nach und nach eine solche Wichtigkeit, dass das königliche Ansehen kaum noch ein Gegenstand der Furcht oder des Neides blieb! Item Clavierius T. II, p. 134: *l'autorité des rois, qui même dans les tems héroiques étoit peu considérable, étoit presque entièrement déchue dans la plupart des villes grècques, et devoit être encore moins respectée à Sparte, où il y avoit deux rois, qui n'étoient prèsque jamais d'accord entre eux.* Longius etiam progreditur Chr. Heinecke in libello qui inscribitur: Homer und Lykurg oder das Alter der Iliade, Lips. 1833. 8, p. 88: *das Königthum war lange auf zwei Individuen übergegangen; es stand sich ein aristokratischer und ein demokratischer König entgegen*, quod unde duxerit, prorsus ignoro, nisi forte Agidem, qui perioecos ad *ἀντίταξιν* coëgit (not. 69) tanquam aristocraticum Eurypontl populari (not. 86) opposuit; propius tamen inspicienti apparebit populum, cui Eurypon indulserit, eundem fuisse, cujus imperium Agis confirmaverit, neque quidquam magis ex illius sententia institui potuisse, quam *ἀντίταξιν* illam, quae alteri tribuitur.

103) Praeter Kortumium et Lachmannum, quibus satis responsum est in disp. de tuch. agenr. nequ. p 13 sqq. et Jahrbb. f. wiss. Krit. p. 253, Plassiumque, qui licet omnes Spartanos cum perioecis comparatos optimatum locum tenere intelligat, tamen etiam inter ipsos alios aliis nobiliores fuisse existimat, in hac sententia esse lovent virum, quo nemo alius remotior a temerariis suspicionibus esse solet, Schlosserum in universalhistor. Uebersicht d. Gesch d. alten Welt T. I, P. I, p. 325: *die zwischen dem ritterlichen Adel von Lakonica, an dessen Spitze zwei Fürsten mit dem Königstitel standen, und dem zwar nicht ritterlichen, aber doch zu den Eroberern gehörigen Theile der im Peloponnes angesiedelten Dorier nach und nach entstandenen Streitigkeiten, verbunden mit der Unbestimmtheit in den Verhältnissen des unterjochten zum Theil leibeigen gemachten Volkes etc.*

eo delapsi esse videntur, ut diversae stirpis paene obliti cum indigenarum moribus et victu coalescerent neque quidquam nisi principatus postulationem ex antiquo discrimine retinerent, unde factum est ut, qui initio singularis populus fuisset, nunc in communi civitate optimatum loco haberetur, quibus veteres incolae pro plebe opponi possent[104]); quod si quis verbi causa apud Pausaniam legat in Messenia Cresphontem, quia pleraque in plebis gratiam administrarit, ab opulentis qui in eum consurrexissent interfectum esse (cf. not. 80), facillime sane ad eam opinionem commoveatur, ut inter Dorienses quoque sicut in plerisque ceteris gentibus alios patricios alios plebejos fuisse judicet, quorum ex contentionibus etiam Spartae illae turbae prodierint, quibus componendis Lycurgo legislatore opus fuerit. At enim vero non partem tantum Messeniorum sed uno vocabulo universos Cresphontem occidisse narrat Isocrates[105]), neque omnino intelligi posset, quomodo Plutarchus hoc potius Messeniorum pariter atque Argivorum regibus perniciosum fuisse narraret, quod nihil de potestate sua remittere aut relaxare in popularem

---

104) Cf Isocr. Panath. §. 178: *τοὺς μὲν γὰρ ἄλλους συνοίκους ἔχειν ἐν τῇ πόλει τοὺς στασιάσαντας καὶ κοινωνοὺς ἁπάντων πλὴν τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν τιμῶν:* unde etiam factum est ut *κατωνακοφόροι* apud Sicyonios et Corinthiorum *κυνόφαλοι*, quamvis externa specie proxime ad Helotas accesserint (cf. Müller. Dor. T. II, p. 59; Welcker. Prolegg. Theognid. p. XXXV), in republica tamen Thetibus potius Atheniensium similes fuisse videantur (Lehrbuch §. 19, n. 19 sqq); eodemque ducunt tribus illae indigenarum apud easdem gentes ipsosque Argivos (not. 79), quarum nihil affine apud Lacedaemonios reperitur.

105) Isocr. Archid. §. 22: *Μεσσήνιοι δ' εἰς τοῦτ' ἀσεβείας ἦλθον, ὥστε ἐπιβουλεύσαντες ἀπέκτειναν Κρεσφόντην τὸν οἰκιστὴν μὲν τῆς πόλεως, κύριον δὲ τῆς χώρας, ἔκγονον δὲ Ἡρακλέους, αὐτῶν δὲ ἡγεμόνα γεγενημένον.*

partem vellent [106]), nisi luce clarius esset, Plutarcho quidem δῆμον ipsum Doriensium populum dici, qui hac ipsa significatione regibus opponatur [107]), apud Pausaniam vero idem vocabulum perioecos spectare, quorum opera hos ad potentiam suam augendam contra cives suos usos esse vidimus; ipse denique Pausanias adeo sibi non constat, ut in eodem libro, ubi Argivorum regum fortunam narrat, horum abolitionem populo tribuat, hoc est Doriensibus, quos ab initio libertatis et aequalitatis amantissimos fuisse praedicat [108]), Corinthiorum autem plebem, hoc est indigenas, ab iisdem Doriensibus victam esse tradat (cf. not. 78), neque in ipsa Spartanorum re publica describenda desunt, qui ad invidiam scilicet excitandam, velut Isocrates in Panathenaico, horum quoque dediticios δήμου vocabulo appellent, quos illi per vim et injuriam ad perioecorum condicionem detruserint, contraque ac in reliquis Doriensium civitatibus factum sit, in servitutem non minorem quam ipsa mancipia redegerint [109]).

106) Plut. V. Lycurg. c. 7: *ὥστε μὴ παθεῖν, ἃ Μεσσήνιοι καὶ Ἀργεῖοι τοὺς παρ' αὐτοῖς βασιλεῖς ἔδρασαν μηδὲν ἐνδοῦναι μηδὲ χαλάσαι τῆς ἐξουσίας ἐπὶ τὸ δημοτικὸν ἐθελήσαντας:* cf. Plat legg III, p 690 D.

107) Cf. Hoeck. Kreta T. III, p. 79: *auch bei den Doriern findet sich zuweilen der Ausdruck δᾶμος, vielleicht als beibehaltener Sprachgebrauch aus einer Zeit, wo noch nicht der Gegensatz besiegter Völker gegeben war; aber auf jeden Fall gehörten zu diesem δᾶμος nur Menschen dorischen Geschlechts;* adde Lachmann. p. 129 et 158 et Hesych. I, p. 884: *δαμώδεις οἱ ἐντελεῖς παρὰ Λάκωσι.*

108) Pausan. II. 19. 2: *Ἀργεῖοι δὲ ἅτε ἰσηγορίαν καὶ τὸ αὐτόνομον ἀγαπῶντες ἐκ παλαιοτάτου, τὰ τῆς ἐξουσίας τῶν βασιλέων ἐς ἐλάχιστον προήγαγον . . Μέλταν δὲ τὸν Λακήδου τὸν ἀπόγονον Μήδωνος τὸ παράπαν ἔπαυσεν ἀρχῆς καταγνοὺς ὁ δῆμος;* cf. Müller. Dor. II. p. 108.

109) Isocr. Panath. § 178: *τὸν δὲ δῆμον περιοίκους ποιήσασθαι, καταδουλωσαμένους αὐτῶν τὰς ψυχὰς οὐδὲν ἧττον ἢ τὰς τῶν οἰκετῶν:* qua calumnia impont sibi passus est etiam Leves-

Idem praeterea Spartanos certe maximam inter se aequalitatem instituisse memorat [110]), unde facillime intelligimus eandem, quae cum perioecis comparata durissimae oligarchiae speciem prae se ferret, inter ipsos cives, si a regibus discesseris, plenam et perfectam democratiam dici potuisse, neque in ullo ex iis locis, ubi δῆμος Doriensium ita commemoratur, ut ad perioecos referri nequeat, quod imprimis Plutarchum servasse videmus [111]), quidquam causae apparet, quapropter illam plebem alii potius populi parti quam regibus opponi dicamus; horum autem si quis et ipsos asseclas voluntatisque eorum propugnatores esse debuisse arguat, hos ipsos in perioecis quaerendos esse satis opinor demonstravimus, non in nescio qua nobilium factione, quales neque in ceteris civitatibus Doricis, neque Spartae ullos praeter unam regiam stirpem invenimus [112]), quodque nonnullis ex ipsa rei

---

quius études de l'hist. ancienne T. II, p. 293: *elle institua pour elle même l'égalité et jouit en particulier de la démocratie, mais elle obligea la faction abattue à s'établir dans le voisinage de la ville, et en fit des véritables esclaves;* non majore profecto jure quam quo Sanctocrucius metoecos ab Atheniensibus inique tractatos esse cavillatur: *citoyens par la nature et cessant de l'être par la loi;* cf. Lehrbuch §. 115, n. 4.

110) Ibidem: *ἀλλὰ παρὰ σφίσιν αὐτοῖς ἰσονομίαν κατεστήσω καὶ δημοκρατίαν τοιαύτην, οἵαν περ τοὺς μέλλοντας ἅπαντα τὸν χρόνον ὁμονοήσειν.*

111) Cf. imprimis c. 2: *ἐκ δὲ τῆς τοιαύτης ἀνέσεως τοῦ μὲν δήμου θρασυνομένου, τῶν δ' ὕστερον βασιλέων τὰ μὲν ἀπεχθανομένων τῷ βιάζεσθαι τοὺς πολλούς, τὰ δὲ πρὸς χάριν ἢ δι' ἀσθένειαν ὑποφερομένων, ἀταξία καὶ ἀνομία κατέσχε τὴν Σπάρτην ἐπὶ πολὺν χρόνον:* ubi non perioecos sed Dorienses regibus opponi inde patet, quod remissio illa ab Euryponte orta Proclis et Eurysthenis instituta abjecisse dicitur, quos perioecis prae civibus favisse vidimus; eademque causa est c. 7, ubi Messeniorum reges, qui et ipsi initio rem publicam in perioecorum gratiam administrarent, *μηδὲν χαλάσαι ἐπὶ τὸ δημοτικόν* voluisse legimus; cf. not. 106.

112) Bacchiadae enim, qui Corinthum usque ad Cypseli tyrannidem rexerunt (Her. V, 92), quamquam oligarchiae speciem gessisse dicuntur, a regia tamen Heraclidarum stirpe

natura prodire visum est, ut aliae familiae alias majorum claritate superarent, haud scio an in eo vivendi genere, quo Dorienses usque ad Peloponnesi occupationem usi erant, quum inter perpetua bella sedumque mutationes tantum quisque auctoritate valeret, quantum sua manu consiliove praestaret, familiarum discrimina, si quae olim exstiterint, jam dudum ante Lycurgum exaequari potius quam propagari consentaneum fuerit. Soli restant Aegidae, Therae posteri, qui geminorum regum tutor fuisse traditur[113]), quos etsi perperam existimarunt qui unam ex Spartanorum tribubus fuisse censuerunt[114]), tamen non omnes in Theram insulam secessisse, verum etiam post aliquot saecula magna inter ipsos Lacedaemonios auctoritate fuisse praeter Herodotum[115]) imprimis Pausanias testatur, qui Euryleontem, septimum a Thera, una cum duobus Spartanorum regibus exercitum

oriundi erant, nominisque mutatio eodem modo explicatur, quo alii Proclidarum conversionem in Eurypontidas explicent (Diodor. fgm. l. VII, p. 14 ed. Bipont.: *καὶ Βάκχις ὁμοίως τὸν ἴσον χρόνον, γενόμενος ἐπιφανέστατος τῶν πρὸ αὐτοῦ, διὸ καὶ ξυνέβη τοὺς μετὰ ταῦτα βασιλεύσαντας οὐκέτι Ἡρακλείδας ἀλλὰ Βακχίδας προσαγορευθῆναι*: cf. Pausan. III. 7. 1: *Εὐρυπῶντα δὲ τὸν Σόου φασὶν ἐς τοσοῦτον ἀφικέσθαι δόξης, ὡς καὶ τὴν οἰκίαν ταύτην Εὐρυπωντίδας ὄνομα ἀπ' αὐτοῦ λαβεῖν, Προκλείδας εἰς ἐκεῖνον καλουμένους*), unde facilis suspicio est, illic quoque regiam potestatem, quam Aletes priscis incolis retinendis firmasset (cf. not. 78), sicut Spartae sub Euryponte, in civiliorem formam sub Bacchide redactam esse, eo tantum discrimine, ut Corinthi mox simili modo, quo Athenis post Alcmaeonem archontem factum est, in totius gentis oligarchiam transiret, quod Spartae Lysander demum frustra tentasse dicitur; cf. Plut. V. Lysand. c. 24.

113) Herod. IV. 147 sqq.

114) Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. §. 24, not. 16 sqq.

115) Herod. IV. 149: *ὁ δὲ παῖς, οὐ γὰρ ἔφη οἱ συμπλεύσεσθαι, τοιγαρῶν ἔφη αὐτὸν καταλείψειν ὄϊν ἐν λύκοισι· ἐπὶ τοῦ ἔπεος τούτου οὔνομα τῷ νεηνίσκῳ τούτῳ Οἰόλυκος ἐγένετο· Οἰολύκου δὲ γίνεται Αἰγεὺς, ἐπ' οὗ Αἰγεῖδαι καλεῦνται, φυλὴ μεγάλη ἐν Σπάρτῃ.*

contra Messenios duxisse narrat [116]); eosdem tamen, sive cum Doriensibus demum in Laconicam pervenerint, sive, quae aliorum suspicio est, jam ante horum adventum inter Achaeos consederint [117]), non ejusdem cum Spartanis stirpis sed e Boeotia oriundos fuisse nec nisi fortuitis atque externis causis cum illis coiisse constat, ac si vel maxime aliquae ipsorum in turbis de quibus agimus partes fuerunt, certe non alias ac reliqui populi fuisse inde apparet, quod Eurysthenes et Procles, quos alienis a populo suo animis fuisse vidimus, in hac ipsa re unanimem operam posuisse ferontur, ut Theram sub coloniae specie extorrem agerent [118]). Illud tantum concesserim, quo et Minyarum exemplum cum ipsa Aegidarum fortuna conjunctum apud Herodotum [119]) et Aristotelis testimonium superius not. 76 adhibitum conducunt, inter primorum temporum confusionem multos alienigenas in ipsam Spartanorum civitatem cooptatos esse, quos consentaneum sit, postquam Agis et Eurypon perioecis ad inferiorem condicionem redactis Spartanorum principatum restituerant, ab iis, qui natione et origine Dorienses essent, pro νεοδαμώδεσιν habitos pleno

116) Pausan IV. 7. 8: *Λακεδαιμονίοις δὲ ἡγεῖτο Πολύδωρος μὲν κατὰ τὸ κέρας τὸ ἀριστερόν, Θεόπομπος δὲ ἐπὶ τῷ δεξιῷ, τὸ μέσον δὲ εἶχεν Εὐρυλέων, τὰ μὲν παρόντα Λακεδαιμόνιος, τὰ ἐξ ἀρχῆς δὲ ἀπὸ Κάδμου καὶ ἐκ Θηβῶν, Αἰγέως τοῦ Οἰολύκου τοῦ Θήρα τοῦ Αὐτεσίωνος ἀπόγονος πέμπτος.*

117) Cf. Müller. Orchom. p. 329 sqq. et Lachmann. spartan. Staatsv. p. 103 sqq. Cautius loquitur Boeckh in Comm. acad. Berol. 1836, p. 43 sqq.

118) Pausan. III. 1. 6: *ὅπως ἐν κοινῷ Θήρᾳ τῷ Αὐτεσίωνος ἀδελφῷ τῆς μητρὸς σφῶν ὄντι Ἀργείας, ἐπιτροπεύσαντι δὲ καὶ αὐτῶν, συνήρατο ἐς ἀποικίαν.*

119) Herod. IV. 145: *δεξάμενοι δὲ τοὺς Μινύας γῆς τε μετέδοσαν καὶ ἐς φυλὰς διεδάσαντο, χρόνου δὲ οὐ πολλοῦ διελθόντος αὐτίκα οἱ Μινύαι ἐξύβρισαν, τῆς τε βασιληΐης μεταιτέοντες καὶ ἄλλα ποιέοντες οὐχ ὅσια.*

atque optimo civitatis jure caruisse [120]), idque haud scio an Herodotus quoque sup. not. 1 significet, ubi Spartanos ante Lycurgum *ξείνοισι ἀπροσμίκτους* fuisse, hoc est priscos cives cum peregrinis illis difficulter coaluisse ait; neque Lycurgum horum immemorem mox videbimus; longius vero suspicando progredi in hoc argumento nolo, quia praeter unum illud sive Minyarum sive Tyrrhenorum exemplum, cui mox colonia deducenda remedium allatum est, nihil vestigii nedum testimonii exstat, quapropter illorum potius arrogantiae turbarum causas tribuamus, neque in ipsa regum populique altercatione ullae horum partes commemorantur, satisque habeo ex ipsa veterum memoria ea fundamenta collegisse, quibus jam immortale Lycurgi opus quasi denuo a nobis superstrui clareque intelligi possit, quomodo ille institutis ad ipsam rei praesentis necessitatem accommodatis ad tantam sapientiae et prudentiae civilis laudem pervenerit.

VI.

Tripertitum igitur, si recte in antecedentibus disputavimus, Lycurgi negotium erat, ut et regibus populum conciliaret, et perioecorum condicionem justis finibus describeret, et inter ipsos cives quidquid dissidii intercederet exaequaret; quorum omnium necessitas quum post Peloponnesi occupationem demum orta esset, finis qui-

---

120) Hanc certe Tyrrhenis, quos Minyarum in locum substituit, condicionem tribuit Plutarchus de virt. mull. T. VIII, p. 272: *οἱ δ' ἐς τὸν Ταίναρον κατάραντες ἐγένοντο χρήσιμοι Σπαρτιάταις περὶ τὸν εἱλωτικὸν πόλεμον, καὶ διὰ τοῦτο πολιτείας καὶ γάμων τυχόντες, οὐκ ἀξιούμενοι δ' ἀρχείων καὶ βουλῆς, ὑπόνοιαν ἔσχον ὡς ἐπὶ νεωτερισμῷ συνερχόμενοι καὶ διανοούμενοι τὰ καθεστῶτα κινεῖν*: **cf. Boeckh. l. c. p. 84.**

dem, quo omnia sua consilia dirigere debebat, is erat, ut eum statum, qui sub Heraclidarum reditum fuisset, quantum posset integrum restitueret; idem tamen quum tot tantisque exemplis turbatus et confusus esset, ut eum suis unius viribus stare amplius non posse appareret, maxima certe legislatoris prudentia in eo cernebatur, ut nova firmamenta inveniret, quibus sanitas et integritas restituta etiam in posterum servari et perpetua propagari posset. Atque in his primum locum ipso antiquitatis testimonio tenet senatus institutio, quem ita medium inter reges et populum interposuit, ut aggeris iustar hostilium fluctuum concursum utrinque diremtum arceret summamque potestatem, de qua inter illos disceptatum fuerat, tanquam sequester in se potius reciperet [121]; cujus licet exemplum et ut ita dicam elementa nec ipse prorsus nova excogitasset, sed in Homerica civitate, sicut superius vidimus, et apud Cretenses, quo quasi meditandi causa ad priscam Doriensium rempublicam cognoscendam

121) Plat. legg. III, p. 691 E: *καὶ μετὰ τοῦτο ἤδη φύσις τις ἀνθρωπίνη μεμιγμένη θείᾳ τινὶ δυνάμει κατιδοῦσα ὑμῶν τὴν ἀρχὴν φλεγμαίνουσαν ἔτι μίγνυσι τὴν κατὰ γῆρας σώφρονα δύναμιν τῇ κατὰ γένος αὐθάδει ῥώμῃ, τὴν τῶν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι γερόντων ἰσόψηφον εἰς τὰ μέγιστα τῇ τῶν βασιλέων ποιήσασα δυνάμει*: cf. Epist. VIII, p. 354 B: *ὡς ἰδὼν τὸ τῶν οἰκείων γένος ἐν Ἄργει καὶ Μεσσήνῃ ἐκ βασιλέων εἰς τυράννων δύναμιν ἀφικομένους καὶ διαφθείραντας ἑαυτούς τε καὶ τὴν πόλιν ἑκάτερος ἑκατέραν, δείσας περὶ τῆς αὑτοῦ πόλεως ἅμα καὶ γένους, φάρμακον ἐπήνεγκε τὴν τῶν γερόντων ἀρχήν*, inque primis Plut. V. Lycurg. c. 8: *πλειόνων δὲ καινοτομουμένων ὑπὸ τοῦ Λυκούργου, πρῶτον ἦν καὶ μέγιστον ἡ κατάστασις τῶν γερόντων . . αἰωρουμένη γὰρ ἡ πολιτεία καὶ ἀποκλίνουσα νῦν μὲν ὡς τοὺς βασιλεῖς ἐπὶ τυραννίδα, νῦν δὲ ὡς τὸ πλῆθος ἐπὶ δημοκρατίαν, οἷον ἕρμα τὴν τῶν γερόντων ἀρχὴν ἐν μέσῳ θεμένη καὶ ἰσορροπήσασα τὴν ἀσφαλεστάτην τάξιν ἔσχε καὶ κατάστασιν, ἀεὶ τῶν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι γερόντων τοῖς μὲν βασιλεῦσι προστιθεμένων, ὅσον ἀντιβῆναι πρὸς δημοκρατίαν, αὖθις δὲ ὑπὲρ τοῦ μὴ γενέσθαι τυραννίδα τὸν δῆμον ἀναρρωννύντων*: adde V. Cleom. c. 10 et universam Justini laudem III. 2: *populum in obsequia principum, principes ad justitiam imperiorum formavit.*

secesserat [122]), invenisset [123]), Homericorum tamen seniorum nulla unquam potestas sed ea tantum auctoritas erat, quae quamvis bonum regem coërceret, contra tyrannum, quocum Lycurgo rem fuisse vidimus, nihil valeret, neque apud Cretenses aut illud exstitit, quod Lycurgei senatus proprium erat, ut sexagenariis tantum aditus pateret, qui omni cupiditate liberi totum vitae usum ad publica commoda et communem civium salutem collaturi essent, aut is legendi modus erat, ut ii tantum constituerentur, quos universus populus inter ipsos aequales integerrimos atque honestissimos judicasset [124]); postremo Cretensium senatus, ex iis qui Cosmi fuissent compositus, originem pariter ac potestatem aristocraticam habuit, quae populari tantum licentiae Areopagi Attici instar opponeretur, Lycurgeus autem, qui potestate aristocraticus, origine popularis esset [125]), ab omni partium studio alienus ipsum illum concentum effecit, quo Sparta-

122) De consilio, quo Lycurgus Cretam profectus est, cf. Müller. Dor. T. I, p. 137 et Hoeck. T. III, p. 12; de tempore autem legislationis, quae hoc iter secuta est, Clinton. Fast. Hell. T. 1, p. 143 et Fischer. Zeittafeln p 37.

123) De Senatu Cretensium cf. Ephorus ap. Strab. X, p. 484: *ἄρχοντας δὲ δέκα αἱροῦνται, περὶ δὲ τῶν μεγίστων συμβούλοις χρῶνται τοῖς γέρουσι καλουμένοις· καθίστανται δ' εἰς τοῦτο τὸ συνέδριον οἱ τῆς τῶν κοσμίων ἀρχῆς ἠξιωμένοι καὶ τὰ ἄλλα δόκιμοι κρινόμενοι:* pluraque apud Hoeckium T. III, p. 53 sqq. et Lehrbuch cit. §. 21.

124) Cf. Plut. V. Lycurg. c. 26 pluraque in Lehrbuch cit. §. 28, n. 16.

125) Isocr. Panath. §. 153: *καὶ τήν τε δημοκρατίαν καταστήσαντος παρ' αὐτοῖς τὴν ἀριστοκρατίᾳ μεμιγμένην . . καὶ τὰς ἀρχὰς οὐ κληρωτὰς ἀλλ' αἱρετὰς ποιήσαντος καὶ τὴν τῶν γερόντων αἵρεσιν τῶν ἐπιστατούντων ἅπασι τοῖς πράγμασι μετὰ τοσαύτης σπουδῆς ποιεῖσθαι νομοθετήσαντος:* cf. Aristot. Politic. IV. 7. 5: *πολλοὶ γὰρ ἐγχειροῦσι λέγειν ὡς δημοκρατίας οὔσης διὰ τὸ δημοτικὰ πολλὰ τὴν τάξιν ἔχειν . . ὅτι τὸ τὰς μεγίστας ἀρχὰς τὴν μὲν αἱρεῖσθαι τὸν δῆμον, τῆς δὲ μετέχειν . . οἱ δ' ὀλιγαρχίαν διὰ τὸ πάσας αἱρετὰς εἶναι καὶ μηδεμίαν κληρωτὴν καὶ ὀλίγους εἶναι κυρίους θανάτου καὶ φυγῆς καὶ ἄλλα τοιαῦτα πολλά.*

norum res publica, naturalis civitatis vicissitudinibus exemta, quantum in illo fuit, ad artificii perennitatem pervenit[126]). Neque in regum plebisque juribus stabiliendis naturali verecundiae adeo confisus est, ut quae semel concussa essent, externo adjumento in posterum carere posse existimaret; immo ne pacta quidem jurejurando confirmata, quibus etiam reliquae Doriensium civitates utriusque partis fines describere ac discordiam ex mutua arrogantia ortam componere studuerant, suffecisse, Argivorum et Messeniorum exempla docebant[127]); quos ne Spartani quoque secuti novis turbis implicarentur, et illud instituit, ut, quibus ipse condicionibus concordiam inter reges populumque restitutam sanxisset, singulis mensibus jurejurando utrinque dato redintegrarentur[128]), et ipsas foederis tabulas scriptas Delphicique oraculi approbatione confirmatas reliquit[129]), ne, quum ipse ea, quae ex vetere usu et more majorum

126) Polyb. VI. 3. 7: δῆλον γὰρ ὡς ἀρίστην ἡγητέον πολιτείαν τὴν ἐκ πάντων τῶν προειρημένων ἰδιωμάτων συνεστῶσαν· τούτου δὲ τοῦ μέρους οὐ λόγῳ μόνον ἀλλ' ἔργῳ πεῖραν εἰλήφαμεν, Λυκούργου συστήσαντος πρώτου κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον τὸ Λακεδαιμονίων πολίτευμα: cf. Plat. legg. III. p. 701 E pluraque in Lehrbuch cit. §. 23, n. 11.

127) Cf. Plat. legg. III, p. 681 A (cf. Wachsmuth T. I, P. I. p. 319) et p. 692 B: οὐ γὰρ ἱκανῶς ᾔσαν νομοθεσίας ἔμπειροι· σχεδὸν γὰρ οὐκ ἄν ποτ' ᾠήθησαν ὅρκοις μετριῶσαι ψυχὴν νέαν λαβοῦσαν ἀρχήν, ἐξ ἧς δυνατὸν ἦν τυραννίδα γενέσθαι.

128) Cf. Isocr. Archid. §. 21: ἐπειδὴ μὲν οὖν μέχρι ταύτης τῆς ἡμέρας ἐμμένετε ταῖς συνθήκαις καὶ τοῖς ὅρκοις, οὓς ἐποιήσασθε πρὸς τοὺς προγόνους τοὺς ἡμετέρους, pluraque apud Xenoph. de Rep. Lac. XV c. not. Haasii p. 257.

129) Ῥήτρας cf. Lehrbuch §. 23, n. 16, neu quis scriptas miretur tam antiquo tempore, Plutarch adv. Colot. c. 17: Λακεδαιμόνιοι τὸν περὶ Λυκούργου χρησμὸν ἐν ταῖς παλαιοτάταις ἀναγραφαῖς ἔχοντες. Tres numero fuisse identidem Plutarchus tradit: idem tamen, si c. 6 et 13 comparaveris, ut minimum quatuor ipse agnoscit, nisi ita potius statueris, tabulas quidem foederis tres fuisse, hic autem etiam plura inscripta esse, quam quae ille mutila

decerni oporteret, literis perscribi vetuisset [130]), de iis, quae turbata prisca consuetudine in disceptationem venerant, controversia amplius oriri posset. Et regibus quidem quantum hoc artificio ex antiquo jure servaverit, superius vidimus, populo autem id ipsum attribuit, quod quum boni justique reges sponte concessissent, ab aliis negatum ipsas illas turbas superbiaeque opprobria produxisse videtur, ut jam suo jure, quae a regibus et senatu ad universos pertinentia ederentur, assensu suo comprobaret vel rejiceret [131]), nec dubitari potest, quin etiam singularia quaedam, quibus reges antea populum offendissent, his pactionibus composita certisque finibus ab illo descripta fuerint, quo ex genere illud inprimis interdixisse dicitur, ne saepius contra eosdem hostes expeditiones susciperent [132]), non, opinor, ea de causa, quam Plutarchus arguit, ne hostes diuturna vexatione usum aliquem bellicum nanciscerentur, sed ne ipsi reges per mili-

---

nua neque inter se cohaerentia tradidit. Gravius est quod etiam praecepta de vitae domesticae simplicitate ex iisdem affert, unde colligi possit etiam quae in more et consuetudine poni debuerint, perscripta esse; cf. de esu carn. II 2: *διὰ τοῦτο ὁ θεῖος Λυκοῦργος ἐν ταῖς τρισὶ ῥήτραις τὸ ἀπὸ πρίονος καὶ πελέκεως γίνεσθαι τὰ θυρώματα τῶν οἰκιῶν καὶ τὰς ὀροφάς, ἄλλο δ' ὄργανον μηδὲν προσφέρεσθαι*: at haud scio an hoc quoque regum causa institutum fuerit, qui majori luxuriae indulgere coepissent.

130) Plut. V. Lycurg. c. 13: *νόμους δὲ γεγραμμένους ὁ Λυκοῦργος οὐκ ἔθηκεν, ἀλλὰ μία τῶν καλουμένων ῥητρῶν ἐστιν αὕτη*: cf. apophth. Lac. T. VIII, p. 222.

131) Plut. V. Lycurg. c. 6: *δάμῳ τὰν κυρίαν ἦμεν καὶ κράτος*, quod tamen ne senatus potestati contrarium videatur, ipse mox explicat: *τοῦ δὲ πλήθους ἀθροισθέντος εἰπεῖν μὲν οὐδενὶ γνώμην τῶν ἄλλων ἐφεῖτο, τὴν δ' ὑπὸ τῶν γερόντων καὶ τῶν βασιλέων προτεθεῖσαν ἐπικρῖναι κύριος ἦν ὁ δῆμος*: cf. Aristot. Pol. IV. 11. 9.

132) Plut. V. Agesil. c. 26: *διὸ καὶ Λυκοῦργος ὁ παλαιὸς ἐν ταῖς καλουμέναις τρισὶ ῥήτραις ἀπεῖπε μὴ πολλάκις ἐπὶ τοὺς αὐτοὺς στρατεύειν, ὅπως μὴ πολεμεῖν μανθάνωσιν*: cf. V. Lycurg. c. 13 et Apophth. Lac. p. 222.

taris obsequii occasionem potestate sua abuterentur et domestici juris vincula evitarent, id quod etiam primis regibus vitio datum esse legimus, quod belli duces quam reges esse maluerint[133]. Perioecos autem quod attinet, in eadem illa lege, qua populi jus firmatur, simul etiam certus locus populi concionibus prope ipsam urbem constituitur[134]), quo solo artificio scite Clavierius intellexit provisum esse, ne reges populum sevocare perioecosve concionibus admiscere possent[135]), quarum causa illi sedes suas et opera quotidiana vix relicturi erant[136]), neque opus est ut in ea quaestione immoremur, quae usque ad recentissima tempora magnis utrinque studiis disceptata est[137]), utrum licuerit illis eodem jure, quo militarium expeditionum participes erant, etiam conventibus interesse, qui de his ipsis communi Lacedaemoniorum nomine decernerent;

---

133) Plut. Apophth. Lacc. p. 232: *Πλείσταρχος Λεωνίδου πρὸς τὸν ἐρωτήσαντα, διὰ τίνα αἰτίαν οὐκ ἀπὸ τῶν πρώτων βασιλέων προσαγορεύονται, ὅτι, ἔφη, ἐκεῖνοι μὲν ἄγειν ἢ βασιλεύειν ἔχρῃζον, οἱ δ' ἐκείνων ὕστερον οὐδαμῶς.*

134) Plut. V. Lycurg. c. 6: *ὥρας ἐξ ὥρας ἀπελλάζειν μεταξὺ Βαβύκας τε καὶ Κνακιῶνος.*

135) Clavier hist. d. prem. temс T. II, p. 167: *mais Lycurgue ayant ordonné que les lois proposées par le sénat et adoptées par le peuple assemblé entre le Babyce et le Cnacion, fussent observées dans toute la Laconie, les habitans des villes un peu éloignées, qui ne pouvoient pas se rendre à ces assemblées, se trouvoient réellement asservis au peuple de Sparte et des environs etc.*

136) Aristot. Pol. VI. 2. 1: *διὰ μὲν γὰρ τὸ μὴ πολλὴν οὐσίαν ἔχειν ἄσχολος, ὥστε μὴ πολλάκις ἐκκλησιάζειν· διὰ δὲ τὸ μὴ ἔχειν τἀναγκαῖα πρὸς τοῖς ἔργοις διατρίβουσι καὶ τῶν ἀλλοτρίων οὐκ ἐπιθυμοῦσιν, ἀλλ' ἥδιον τὸ ἐργάζεσθαι τοῦ πολιτεύεσθαι καὶ ἄρχειν:* et §. 7: *ἔτι δὲ διὰ τὸ περὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ ἄστυ κυλίεσθαι πᾶν τὸ τοιοῦτον γένος ῥᾳδίως ἐκκλησιάζει, οἱ δὲ γεωργοῦντες διὰ τὸ διεσπάρθαι κατὰ τὴν χώραν οὔτ' ἀπαντῶσιν οὔθ' ὁμοίως δέονται τῆς συνόδου ταύτης.*

137) Cf. Lehrbuch cit. §. 19, not. 2 et §. 25, not. 10, inque primis Schömann de de eccles. Lacedd. p. 5 sqq. et antiqq. jur. publ. p. 118.

Lycurgus certe in his nihil ex antiquo illo *συντελείας* jure immutasse atque illud potius prospexisse videtur, ut et victus diversitate et agrorum situ modoque adeo a civibus distinguerentur, ut nec illi unquam ad municipum condicionem detrudi neque hi quamvis plures numero aut opulentia illos aequare aut inter se conspirare possent [138], sed suis quique finibus circumscripti humilique industriae dediti semper ejus juris memores manerent, quo Spartani domini eorum facti essent [139]. Cives denique quomodo agrorum distributione inter se aequaverit et ad priscas artes bellicas vitaeque genus militare revocaverit, quamquam et ipsum summae prudentiae erat, imperium iisdem artibus retineri quibus initio partum esset [140], tamen et alibi longius persecuti sumus, et ab hac nostra disputatione alienum est, quae de iis tantum agere instituit, quibus Lycurgus turbas quas invenerit componere earumque causis occurrere studuerit; quarum in numero si illud quoque discrimen haberi posse concessimus, quod inter cives recepticios et eos qui origine Dorienses essent intercederet, ea nos potius lex advertet, quae simul et ipsa artificii potius quam priscae consuetudinis speciem prae se fert, ut

---

138) Hinc apud Athen. XV. 15 *οἱ ἐκ τῆς ἀγωγῆς παῖδες* opponuntur *τοῖς ἀπὸ τῆς χώρας*, h. e. perioecis; cf. Schömann. antiqu p. 114.

139) Isocr. Panath. §. 179: *ταῦτα δὲ πράξαντας τῆς χώρας αὐτοὺς μὲν λαβεῖν ὀλίγους ὄντας οὐ μόνον τὴν ἀρίστην, ἀλλὰ καὶ τοσαύτην ὅσην οὐδένες τῶν Ἑλλήνων ἔχουσι, τῷ δὲ πλήθει τηλικοῦτον ἀπονεῖμαι μέρος τῆς χειρίστης ὥστ' ἐπιπόνως ἐργαζομένους μόλις ἔχειν τὸ καθ' ἡμέραν· μετὰ δὲ ταῦτα διελόντας τὸ πλῆθος αὐτῶν ὡς οἷόν τ' ἦν εἰς ἐλαχίστους εἰς τόπους κατοικίσαι μικροὺς καὶ πολλοὺς κ. τ. λ.*; cf. sup. not. 81 et de ipsa agrorum distributione inter perioecos Plut. V. Lycurg. c. 8.

140) Sallust. Catilin. c. 2; cf. Krabinger ad Synes. de regno p. 235.

optima civitatis jura non ab origine sed ab ejus educationis victusque communione penderent, quam Spartanis peculiarem proposuisset [141]. Haec enim etsi posterius eam conversionem accepit, ut eos potius qui cives nati essent a mollitie et degeneratione deterrere, quam novis recipiendis viam munire videretur, tamen et posterius in Mothacibus certe etiam ad augendum civium numerum usurpata est, et ipsum legislatorem huc spectasse vel ξένων vocabulum declarat, quibus, si reipublicae instituta exsequerentur, pares cum reliquis partes destinasse dicitur [142], neque aliorsum refero civium distributiones, quas quum pariter atque senatorum institutionem ab ipso Herodotus repetat [143], ideo tantum novas fecisse videtur, ut omnes arctissime inter se coalescerent neu antiquarum tribuum gentiumque recordatio pristini discriminis memoriam propagaret [144].

141) Cf. de Homoeis p 10 sq et Lehrbuch cit. §. 25 extr.

142) Plut Instit. Lacc T. VIII, p. 252: ὅτι καὶ τῶν ξένων ὃς ἂν ὑπομείνῃ ταύτην τὴν ἄσκησιν, τῆς πολιτείας κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Λυκούργου μετεῖχε cf. sup. not. 87. Quae opponere videtur Leonidas apud Plut V. Agid. c. 10, ipse scriptor recte refutavit.

143) Herod. I. 65: μετὰ δὲ τὰ ἐς πόλεμον ἔχοντα, ἐνωμοτίας καὶ τριηκάδας καὶ συσσίτια, πρός τε τούτοισι τοὺς ἐφόρους καὶ γέροντας ἔστησε Λυκοῦργος: quae quominus ad solum bellum restringamus, non syssitiorum tantum verum etiam triacadum nomen efficit, quas easdem cum gentibus fuisse constat (Lachmann p. 159; Schömann, de eccl p. 10; Müller. Dor. T II, p 82), quoque certius est omnem Spartanorum vitam ad militarem usum descriptam fuisse, eo tutius etiam militares distributiones ad totam rempublicam revocabimus, unde etiam lucem accipit Plut. V. Lycurg. c. 23.

144) Cf. Aristot. Politic. VI. 2. 11: φυλαί τε γὰρ ἕτεραι ποιητέαι πλείους καὶ φρατρίαι .. ὅπως ἂν ὅτι μάλιστα ἀναμιχθῶσι πάντες ἀλλήλοις, αἱ δὲ συνήθειαι διαζευχθῶσιν αἱ πρότερον: quae quum ita sint, haud scio an illa quoque apud Plutarch V. Lycurg c. 6: φυλὰς τε φυλάξαντα καὶ ὠβὰς ὠβάξαντα τριάκοντα, ad novarum tribuum et curiarum institutionem referri debeant; tribus certe Spartanorum a certis locis appellatas a priscis quae toti genti communes essent prorsus diversas fuisse constat: cf. Lehrbuch §. 24, not. 17.

Syssitiorum certe haec ipsa natura erat, ut, quum non generis aliqua propinquitate sed libera participum cooptatione niterentur [145]), singulos mutua caritate potius quam naturae vinculis continerent [146]); iisdem vero parem cum educatione vim in republica Lycurgum tribuisse constat, ut qui eorum in partem non veniret, optimo civitatis jure et honorum communione careret [147]), quod si praeter agrorum aequalitatem, de qua alio tempore disputavimus, ex sola civium existimatione pendebat, hac quoque re satis declaravit, se civitatem non magis progenie et necessitudine aliqua quam concordia et virtute censere. Sed haec singulatim persequi nunc non vacat; gravissimum est, quo totam hanc disputationem dereximus, quod quum nihil Spartanis salutarius esse posset quam vetera Doriensium instituta revocari, ipsae tamen temporum rationes ita tulerunt, ut haec non simpliciter vitae quotidianae arbitrio restitui sed naturalibus vicissitudinibus exemta ita sanciri opus esset, ut singuli, quidquid in re publica valerent, non suo aliquo jure sed sola illorum observatione adipiscerentur: neque quidquam efficacius institui poterat ad illud obsequium confirmandum, quod omnium maxime veteres in

145) Plut. V. Lycurg. c. 12.

146) Multi quidem, ut Müller. Dor. T. II, p. 238, Lachmann. p. 159, Schömann. antiqu. p. 140, syssitia atque omnino ordines militares cum familiarum necessitudine conjuncta fuisse volunt; caute tamen hac de re dubitat Haasius ad Xenoph. de Rep. Lacedd. p. 120; utque tribus et curias non confusas esse concedam, inter has certe liberam optionem fuisse contendo, neque quidquam longius a Lycurgeae constitutionis sapientia recedere arbitror, quam si quis omnia ad naturales leges revocet.

147) Aristot. Pol. II. 6. 21: ὅρος δὲ τῆς πολιτείας οὗτός ἐστιν αὐτοῖς ὁ πάτριος, τὸν μὴ δυνάμενον τοῦτο τὸ τέλος φέρειν μὴ μετέχειν αὐτῆς: cf. de Homoeis p. 13.

Lycurgi civibus admirati sunt [148]), quam ut iisdem moribus, quibus aliae gentes, simul atque se circumspicere et ad aliquam sui conscientiam expergisci coepissent, libertatem suam indigne constringi existimarent, hi quo clarius omnem suam condicionem intuebantur, et aequalitatem inter ipsos et dominationem in perioecos et Helotes deberi intelligerent. Maximum autem hoc hominis meritum fuisse nemo negabit, qui aliarum civitatum exempla comparet, quae ab iisdem primordiis profectae nec maioribus turbis conflictatae multo deteriore fortuna usae sunt, nec minor ejus error fuerit, qui Lycurgum nihil nisi priscos mores instaurasse censeat, quam eorum qui illum omnia ex ingenio instituisse crediderunt; cui licet illud concedi possit, universae civitatis formam externam non insigniter a pristina gentis indole recessisse, singularum tamen partium tantam confusionem demonstrasse nobis videmur, ut qui eas ad Lycurgeae reipublicae diuturnitatem restituerit, non medici modo, qui aegroto salutem reddat, sed Daedali potius laudem merere videatur, qui vivo corporis motu et incessu servato, singula tamen membra ipsa concinnitate perennia fecerit et omni humanae imbecillitatis labe, quantum in humano opere fieri possit, liberaverit.

148) Cf. Lehrbuch §. 23, not. 13; Lachmann. p. 237.

II.

DISPUTATIO

DE NOVIS LACEDAEMONIORUM POST LYCURGUM INSTITUTIS,

SCRIPTA

INDICENDIS NATALITIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORALIS

A. MDCCCXL.

7

I.

Faustissimis celsissimorum Principum natalitiis proludentes si quis identidem ad Lacedaemoniorum rem publicam redeuntes viderit, mirabitur fortasse, quomodo tanta disputandi materia ex ejus civitatis memoria repeti possit, quam plerique putant, postquam Lycurgi demum merito dignum inter Graecos locum capessiverit, saluberrimis hujus legibus descriptam adeo sibi constitisse, ut praeter ipsam illam legislationem, quae doctissimorum virorum cura ab omni parte satis superque illustrata est, nihil relinquat, quod sine ineptae curiositatis specie diligentius tractari possit; eandem tamen si accuratius cognoverit, neque antecedentis aetatis tam exiguum momentum esse intelliget, ut nihil ad ipsam legislatoris sapientiam existimandam faciat, nec posteriorem tam inanem inveniet, ut Lycurgum aut omnia quibus opus erat absolvisse, aut simul cum singulorum arbitrio etiam universae rei publicae vigorem exstinxisse, membrisque ad unanimitatem agendi conciunatis integrum corpus languidum et iners reliquisse credibile sit. Et priorem quidem harum aetatum in superiore disputatione ita tractavimus, ut iis maxime occurreremus, qui omni Lycurgi opera in morum instauratione posita

singularem temporum condicionem, unde ipsa morum emendatorum firmamenta repetiit, minus adverterunt; nunc ad alteram conversi contrarium errorem impugnabimus, qui neglectis mutationibus, quas sequentium temporum vicissitudines Lycurgeae reipublicae afferre consentaneum erat, universam hujus vim et rationem eo confert, ut civitatem ab omni reliquorum hominum contagione disjunctam in eodem vestigio stare immobilem voluerit [1]: quod ut in singulos cadat, quos educatione morumque obsequio ita adstringi vidimus, ut quantum in illis foret, respublica perennis futura esset, hujus tamen ipsius motum vitalem ea re augeri potius quam cohiberi necesse erat, tantumque aberat ut moribus in leges mutatis [2] quidquid vetere consuetudine traditum non esset, illegitimum Lycurgus judicaret, ut pauca tantum, ubi privata arbitria damnum rei publicae minabantur, certis normis describeret, in reliquis, modo privatim sibi omnia constarent, nihil publice faciendum esse putarent. Nam

---

1) Plut. V. Lycurg. c. 29: *ἐπεθύμησεν ὡς ἀνυστὸν ἐξ ἀνθρωπίνης προνοίας, ἀθάνατον αὐτὴν ἀπολιπεῖν καὶ ἀκίνητον εἰς τὸ μέλλον:* cf. Manso Sparta T. I, p. 186: *wenn Sparta bleiben sollte, was es durch ihn geworden war, so musste es von seinen Einrichtungen sich auf keine Weise entfernen . . es musste sich isolirt und frei von fremdem Einflusse erhalten und einzig auf die Behauptung seines kleinen Gebietes beschränken;* et qui magna olim auctoritate usus est, Gillies hist. of Greece T. I, p. 127: *and to the end that the Spartan constitution might enjoy a degree of permanence and stability, which the heroic policies had not possessed, he resolved . . in one word to arrest the progress of what is called the refinement, but what seemed to the manly discernment of this legislator the corruption of human society.*

2) Limburg-Brouwer hist. de la civilisation morale et religieuse des Grecs depuis le retour des Heraclides, T. I, p. 127: *à Sparte les moeurs ont ployé sous les lois, à Athènes les lois ont obéis aux moeurs.*

quod narrant illum peregre proficiscentem Lacedaemonios jurejurando obligasse, ne quid ex iis, quae constituisset, se absente immutarent, atque sic voluntarium exsulem, ne unquam fide data liberarentur, mortuum esse [3]), si vel maxime factum fuerit, pariter atque in Solone, quem simili artificio usum esse legimus [4]), ad ea tantum spectare poterat, quae scriptis legibus ordinasset; utque recte Plutarchus ait exiguum jurisjurandi fructum futurum fuisse, nisi educatio accessisset, quae rei publicae caritatem cum puerorum animis conflaret novumque semper veterum institutorum amorem juvenum progeniei insereret [5]), ita huic ipsi educationi eam vim Lycurgum tribuisse legimus, ut qui ea usi essent sine scriptarum legum vinculis quid quoque tempore opportunum foret ipsi existimarent [6]); praeterea aliud erat antiquas leges mutare et a prisco educationis proposito recedere, aliud nova inventa recipere, quae iisdem pro-

---

3) Plut. V. Lycurg. c. 29; Justin. III. 3; Suidas p. 2360 ed. Gaisford.

4) Herod. I. 29: *ὁρκίοισι γὰρ μεγάλοισι κατείχοντο, δέκα ἔτεα χρήσεσθαι νόμοισι τοὺς ἄν σφι Σόλων θῆται κ. τ. λ.*

5) Comp. Lycurg. et Numae c. 5: *μικρὸς γὰρ ἂν ἦν τῶν ὅρκων φόβος, εἰ μὴ διὰ τῆς παιδείας καὶ τῆς ἀγωγῆς οἷον ἀνέδευσε τοῖς ἤθεσι τῶν παίδων τοὺς νόμους καὶ συνῳκείωσε τῇ τροφῇ τὸν ζῆλον τῆς πολιτείας.*

6) Apophth. Lacedd. T. VIII, p. 222: *ἐρωτηθεὶς δὲ διὰ τί οὐκ ἐχρήσατο νόμοις ἐγγράφοις, ὅτι, ἔφη, οἱ πεπαιδευμένοι καὶ ἀχθέντες τῇ προσηκούσῃ ἀγωγῇ τὸ τοῦ καιροῦ χρήσιμον δοκιμάζουσι:* quod etsi responsum non revera datum a Lycurgo, sed posterius demum ex Platonis sententia fictum sit, qui eundem in modum Republ. IV, p. 425 D: *ἀλλ' οὐκ ἄξιον*, inquit, *ἀνδράσι καλοῖς κἀγαθοῖς ἐπιτάττειν, τὰ πολλὰ γὰρ αὐτῶν, ὅσα δεῖ νομοθετήσασθαι, ῥᾳδίως που εὑρήσουσιν:* id ipsum tamen philosopho cum vetere legislatore commune est, ut ea demum legibus sancienda putet, quae praesenti hominum prudentiae tuto committi nequeant; cf. Politic. p. 295.

movendis et confirmandis inservirent, quorum etsi alterum nefas habebatur, alterum nec Lycurgum vetuisse nec Spartanos respuisse constat, utque singulos cives alienas terras adire noluerit, ne peregrinos mores pro domesticis referrent, universos nihil erat quod impediret, quo minus vel peregrinas artes asciscerent, quae unanimi consensu salvis moribus locum habere viderentur. Immo docte nuper observatum est [7]), nihil iniquius de Lacedaemoniis judicari posse, quam si quis propter eam inertiam et tarditatem, qua Atheniensium industriae et humanitati opponebantur, etiam priori tempore, quum nondum hac ipsa oppositione obriguissent, omnis culturae rudes et a poësis aliarumque artium elegantia alienos fuisse credat; quibus si ipse Lycurgus Homeri carmina ex peregrinatione sua apportaverat, ne aliis quidem recipiendis, quae eandem praestantiam haberent, illius instituta corrumpebant [8]), neque omnino intelligeremus, quomodo totius Graeciae principatum tenere potuissent, si tanta illa incrementa, quae Graecorum ingenia jam ante bella Persica acceperant, neglexissent nec potius omnia, quae qui-

---

7) Welcker. ep. Cyklus p. 247: *dem älteren Sparta hat überhaupt die spätere Kunstlosigkeit und Unwissenheit, die als Folge der Verfassung die Spartaner nach und nach in Schatten stellten, in der Meinung der Menschen so sehr geschadet, dass der wahre Begriff über Poesie, Musik und Bildkunst bei ihnen in früherer Periode nicht weniger gegen alle Schriftsteller, wie noch gegen manche neuere Urtheile und Versuche der Kritik sich im Widerspruche befindet.*

8) Plutarch V. Agid. c. 10: *τῶν δ' ἐν ταῖς πόλεσι ξένων τοὺς τοῖς ἐπιτηδεύμασι καὶ ταῖς διαίταις ἀσυμφύλους μᾶλλον ἐδυσχέραινε . . οὐ τοῖς σώμασι πολεμῶν, ἀλλὰ τοὺς βίους αὐτῶν καὶ τοὺς τρόπους δεδιώς . . ἐπεὶ Τέρπανδρόν γε καὶ Θάλητα καὶ Φερεκύδην, ξένους ὄντας, ὅτι τὰ αὐτὰ τῷ Λυκούργῳ διετέλουν ᾄδοντες καὶ φιλοσοφοῦντες, ἐν Σπάρτῃ τιμηθῆναι διαφερόντως.*

dem veram et genuinam Graecae gentis indolem referrent, in suum usum convertissent suaque auctoritate commendassent et quasi sanxissent. Mitto extrema rei publicae tempora, quae quamvis insigni morum corruptela, avaritia, inaequalitate longissime a Lycurgeae constitutionis indole recessissent, externam tamen hujus speciem ita retinuerunt, ut, quod alibi demonstravi, in maxima rerum omnium conversione servandis prius quam mutandis legibus legitimam civitatis formam pessum dedisse viderentur; at ne illa quidem aetas, quum tanta Lacedaemoniorum potentia, tantae opes, tanta auctoritas erat, quantam ex genuina tantum Lycurgeorum institutorum observatione hujusque vestigiis sequendis consequi poterant, novarum rerum mentione caret; quod ubi recogito, haud scio an non prius exteris quam sibi ipsis diffidere coeperint, atque ipse ille rigor et secessus, quem vulgaris scriptorum opinio describit, ex imminente demum rerum conversione originem traxerit, cui quum se arcendae impares fore intelligerent, contorpescente discernendi facultate, ne incauti laberentur, ne passum quidem ulterius progredi auderent. Id vero sub Persici demum belli aetatem factum est, quo tempore ingruente Atheniensium libertate novoque spiritu Graecorum ingenia perflante robur suum periisse aequaliumque studia longius prodire et altiora petere sentirent, quam quo ipsi sequi, nedum ut soliti erant, praecedere possent; tunc igitur, quidquid novi exsisteret, simul etiam eum modum excedere videbatur, qui veteri Graeciae consuetudini proprius sibique salutaris esset; donec autem ipsorum Graecorum plerique intra eos limites consisterent, quos natura mo-

resque majorum posuissent, nimiae novandi cupidini restitisse contenti, ab illa austeritate et tristitia, qua postea infames fuerunt, adeo alieni erant, ut clarissimi viri, quorum illa aetate nomina inter Graecos splendent, Spartam venisse ibique aut benevole excepti esse aut adeo ingeniorum suorum vestigia reliquisse tradantur [9]. Neque inter ipsos cives tantam Lycurgearum legum vim fuisse, ut aut omni novarum rerum cupidine carerent, aut nulla nova lege ad coërcendos motus opus esset, et turbarum memoria prodit, quibus componendis Lacedaemonii vel peregrinorum opera usi esse dicuntur [10], et singularia quaedam instituta, quorum licet pleraque, ut fere fit, ad ipsum Lycurgum auctorem referantur, tamen, ut hoc utar, pecuniae signatae usu illum civibus suis interdicere non potuisse apparet, quae plus quam centum annis posterius demum cudi a Phidone coepta est [11]; eademque causa est ephororum, quos quum alii simul

9) Aelian. Var. Hist. XII. 50: *εἰ δέ ποτε ἐδεήθησαν τῆς Μουσῶν ἐπικουρίας, ἢ νοσήσαντες ἢ παραφρονήσαντες ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον δημοσίᾳ παθόντες, μετεπέμποντο ξένους ἄνδρας οἷον ἰατροὺς ἢ κατὰ πυθόχρηστον μετεπέμψαντό γε μὴν Τέρπανδρον καὶ Θαλήταν καὶ Τυρταῖον καὶ Κυδωνιάτην Νυμφαῖον καὶ Ἀλκμᾶνα κ. τ. λ.* Cf. Müller. Dor. T. II, p. 8 et 411 ipsumque Limburg-Brouwer T. II, p. 458.

10) Plutarch. de Musica c. 42: *ὅτι δὲ καὶ ταῖς εὐνομωτάταις τῶν πόλεων ἐπιμελὲς γεγένηται φροντίδα ποιεῖσθαι τῆς γενναίας μουσικῆς, πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα μαρτύρια παραθέσθαι ἐστί, Τέρπανδρον δ' ἄν τις παραλάβοι τὸν τὴν γενομένην ποτὲ παρὰ Λακεδαιμονίοις στάσιν καταλύσαντα.* Pausan. IV. 18. 2: *καὶ ἀπὸ τούτου σιτοδεία ἐγένετο ἐν Σπάρτῃ καὶ ὁμοῦ τῇ σιτοδείᾳ στάσις . . καὶ τούτοις μὲν τὰ διαφορὰ ἔλυσε Τυρταῖος:* cf. de caus. turb. agr. aequal. p. 49.

11) Lachmann. spartan. Staatsv. p. 166: *von mehreren Gesetzen, welche ihm zugeschrieben werden, ist es sogar sicher, dass sie erst aus bedeutend späterer Zeit herrühren; so die Xenelasie, welche erst als der Gegensatz der spartanischen Bildung gegen das Ausland schärfer hervortrat, nothwendig wurde; zu dem Verbot der goldenen und silbernen Münzen aber konnte Lykurg schon desshalb keine Veranlassung haben, weil diese mehrere Men-*

cum senatu a Lycurgo institutos memorent, optima tamen testium pars aliquot post illum aetatibus neque ipsos praeter necessitatem ad illius rempublicam accessisse tradunt. Haec igitur, quae ipsam reipublicae formam sapientissime ab illo descriptam et confirmatam multo ante, quam vulgo corrupta esse putatur, insignibus accessionibus mutarunt, jam primum qualem vim habuerint paucis cognoscamus; deinde vero ad ea nos convertamus, quae cum moribus potius conjuncta aut educationi, quam ille instituerat, ipsos Graecae culturae profectus admiscuerunt, aut alio quocunque modo ab exteris ad ornandam urbem civiumque animos demulcendos arcessita sunt [12]; quibus omnibus comprehendendis illud nos effecturos esse speramus, ut multum ex eo opprobrio, quod a multis in Lycurgum conjectum est, diluatur, et hoc quoque in genere appareat, sicut in ipsa republica Lacedaemoniorum existimanda multa Aristoteles auctori exprobravit, quae ex depravatione demum et abusu orta sunt, ita etiam reliqua illius instituta eorum demum culpa invidiam contraxisse; qui spiritum evanescentem nequicquam caeca formae observatione retineri rati, hoc ipso instituto, quidquid ille virium et vigoris reipublicae addidisset, turpiter amitterent.

II.

Prima novarum rerum inter Spartanos post Lycurgum memoria conjuncta est cum regno Polydori et Theopompi, quorum alter Cha-

---

schenalter nach ihm von dem Argiver Phidon zuerst geprägt wurden; cf. Müller. Aeginet. p. 51 sqq. et Boeckh. metrol. Untersuchungen p. 76 sqq.

12) Müller. Dor. T. II, p. 408: *damals war die Stadt wirklich der Mittelpunct von Hellas.*

8

rilai nepos circiter centum annis post Lycurgum regnum capessivit [13]), alter flagrante demum bello Messeniaco regnare coepit, cujus initium ab ipsius patre Alcamene et Theopompo regibus factum est [14]); ipse tamen Polydorus jam quinto ejusdem anno exercitum contra Messenios cum Theopompo duxit [15]), belloque composito primus insignem illam mutationem instituit, qua agrorum portiones, quarum Lycurgus sex tantum millia vel adeo quatuor millia et quingentas modo fecisset, ad novem millium numerum qui posterius fuit auxisse dicitur [16]). Nam quod alii negant [17]) post primum bellum Messenios agris mulctatos esse, agrosque divisos ad Laconicae potius oppida referunt, quae post rebellionem ab avo demum et patre Polydori subacta fuerint [18]), non verisimile est Messeniorum,

---

13) Circiter a. 770 a. Chr.; cf. Clinton. Fast. Hell. T. I, p. 337.

14) Pausan. IV. 4. 3: *γενεᾷ δὲ ὕστερον βασιλεύοντος ἐν Λακεδαίμονι Ἀλκαμένους τοῦ Τηλέκλου, τῆς δὲ οἰκίας τῆς ἑτέρας Θεοπόμπου τοῦ Νικάνδρου τοῦ Χαρίλλου . . Λακεδαιμονίων καὶ Μεσσηνίων ἐῤῥάγη τὸ ἐς ἀλλήλους μῖσος*: cui non est cur fidem negemus cum Müllero Dor. T. II, p. 501, praesertim quum claris verbis mox iterum Alcamenem primum exercitum adversus Messenios duxisse narret IV 5. 3.

15) Paus. IV. 7. 3: *οὕτω δευτέρῳ ἐκ τοῦ προφανοῦς ἐπὶ Μεσσηνίους στρατείαν ἐποιοῦντο, ἡγοῦντο δὲ οἱ βασιλεῖς ἀμφότεροι, Θεόπομπός τε ὁ Νικάνδρου καὶ Πολύδωρος ὁ Ἀλκαμένους· Ἀλκαμένης δὲ οὔπω περιῆν.*

16) Plutarch. V. Lycurg. c. 8: *ἔνιοι δέ φασι τὸν μὲν Λυκοῦργον ἑξακισχιλίους νεῖμαι, τρισχιλίους δὲ μετὰ ταῦτα προσθεῖναι Πολύδωρον· οἱ δὲ τοὺς μὲν ἡμίσεις τῶν ἐννακισχιλίων τοῦτον, τοὺς δὲ ἡμίσεις Λυκοῦργον.*

17) Manso Sparta T. I, p. 228: *ein dunkles Gerücht will, dass der genannte König die Ländertheile Lykurgs um dreitausend vermehrt habe; ist diess mehr als Gerücht, so hat man höchst wahrscheinlich die durch die Auswandernden erledigten Besitzungen mit neu gemachten verwechselt; denn die messenischen Ländereien wurden nicht vertheilt, und dass in Lakonika zu vertheilendes Landeigenthum übrig gewesen sey, ist nicht glaublich.*

18) Cf. Paus. III. 2 et sup. disput. p. 21. Equidem, si quid hariolari liceat, ita statuam, mille quidem et quingentas portiones ex his ad priscas Lycurgeas accessisse, ut

quibus easdem cum perioecis condiciones impositas esse constat [19]), hac in re meliorem fortunam fuisse quam Achaeorum, quos aliquam certe agrorum partem statim ab initio victoribus cessisse in superiori disputatione satis comprobasse mihi videor, utque Doriensium, qui Messeniam habitarent, nullos ante alterum bellum in servitutem redactos esse concedam, in colonias tamen abierunt, quorum agros Lacedaemonios occupasse crediderim [20]); confirmatur autem haec sententia et Polydori dicto, qui Messeniam aggrediens eam se terrae partem, quae nondum distributa esset, petere jactavit [21]), et ipsius Pausaniae narratione, qui instaurato bello, quum Lacedaemonii Messeniam colere non possent, frumenti inopiam ortam esse tradit [22]), neque inepte Lachmannus Stenyclarios potissimum campos jam tum divisos, Messeniis montanas tantum regiones relictas esse su-

sexies mille fierent, reliqua tria millia Messeniaci agri fuisse, quo facto etiam discrepantia illa apud Plutarchum not 16 explicaretur.

19) Paus. IV. 14. 8: *τὰ δὲ ἐς αὐτοὺς Μεσσηνίους παρὰ Λακεδαιμονίων ἔσχεν οὕτως· πρῶτον μὲν αὐτοὺς ἐπάγουσιν ὅρκον, μήτε ἀποστῆναί ποτε ἀπ᾽ αὐτῶν μήτε ἄλλο ἐργάσασθαι νεώτερον μηδέν· δεύτερα δὲ φόρον μὲν οὐδένα ἐπέταξαν εἰρημένον, τῶν δὲ γεωργουμένων τροφῶν σφίσιν ἀποφέρειν ἐς Σπάρτην πάντων τὰ ἡμίσεα*: quem tamen ipsum facile apparet *βασιλικὸν φόρον* esse, qualem etiam Lacedaemonios regibus solvisse legimus; neque enim consentaneum est singulos Messenios singulis Spartanis attributos esse, quibus illi dimidium frugum afferrent! Cetera vide in sup. disput. p. 28.

20) Cf. Pausan. IV. 14. 1: *Μεσσηνίων δὲ ὅσοις μὲν ἔτυχον ἐν Σικυῶνι οὖσαι καὶ ἐν Ἄργει προξενίαι καὶ παρὰ τῶν Ἀρκάδων τισίν, οὗτοι μὲν ἐς ταύτας τὰς πόλεις ἀπεχώρησαν*: inque primis IV. 23. 3: *μετῴκησε δὲ Ἀλκιδαμίδας ἐκ Μεσσήνης ἐς Ῥήγιον μετὰ τὴν Ἀριστοδήμου τοῦ βασιλέως τελευτὴν καὶ Ἰθώμης τὴν ἅλωσιν.*

21) Plut. apophth. Lacc. p. 233: *ἐξάγοντος δ᾽ αὐτοῦ τὸ στράτευμα ἐπὶ Μεσσήνην, ἤρετό τις, εἰ τοῖς ἀδελφοῖς μάχεσθαι μέλλει· οὔκ, ἔφη, ἀλλ᾽ ἐπὶ τὴν ἀκλήρωτον τῆς χώρας βαδίζειν.*

22) Paus. IV. 18. 1: *ὥστε καὶ ἐποιήσαντο οἱ Λακεδαιμόνιοι δόγμα .. τὴν Μεσσηνίαν καὶ τῆς Λακωνικῆς τὴν προσεχῆ, τέως ἂν πολεμῶσιν, ἐᾶν ἄσπορον κ. τ. λ.*

spicatur [23]), praesertim quum vetus carmen Aristomenem Spartanos usque ad Stenyclarum persecutum esse praedicet, quae pridem ipsius regni Messeniaci sedes et caput fuerat [24]). Atqui haud scio an haec ipsa causa fuerit, cur Lacedaemonii bellum finitimum diu agitatum [25]) primoque quadriennio sub Alcamene satis ut videtur lente ductum subito ad internecivam vehementiam evexerint, quia tanta civium multitudo facta erat, quanta domesticis finibus contineri amplius non posset: quae licet ipsis illis praemiis, quibus Lacedaemonii ad liberorum copiam augendam invitabantur [26]), abunde excusetur neque ad Kortumii et Lachmanni commenta descendi opus sit, qui inferioris ordines homines tum demum exaequatos esse volunt [27]), illud certe haud temere suspicari mihi videor, ne Messe-

---

23) Spartan. Staatsverf. p. 192: *was auf diese Weise vertheilt wurde, dürfte das Binnenland, die Stenyklarische Ebene, gewesen seyn, welche schon früher die Dorier in Besitz genommen hatten, wogegen in dem gebirgigten Theile und an den Küsten die Periökenstädte lagen*; cf. sup. disput. p. 23.

24) Pausan. IV. 16. 4: *ἐπέλεγον ᾆσμα τὸ καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι ᾀδόμενον·*

ἔς τε μέσον πεδίον Στενυκλήριον ἔς τ' ὄρος ἄκρον

εἵπετ' Ἀριστομένης τοῖς Λακεδαιμονίοις:

Possint etiam Tyrtaei versus huc referri apud Bach. p. 88:

ἡμετέρῳ βασιλῆϊ, θεοῖσι φίλῳ Θεοπόμπῳ,

ὃν διὰ Μεσσήνην εἵλομεν εὐρύχορον,

Μεσσήνην, ἀγαθὴν μὲν ἀροῦν, ἀγαθὴν δὲ φυτεύειν,

quorum exigua vis esset, nisi Lacedaemonii etiam utilitatem aliquam ex illa fertilitate cepissent.

25) Pausan. IV. 4 et 5; cf. Müller. Dor. T. I, p. 146 sq.

26) Cf. Lehrbuch cit. §. 27, not. 3.

27) Cf. Kortum. in Schlosseri et Berchtii Archiv f. Geschichte u. Literatur, Frankf. a. M. 1833, 8; T. IV, p. 164: *also nahm Polydor, den Unfrieden der zahlreichen von den hoheitlichen Rechten der Vollbürger ausgeschlossenen Zinsbauern zu stillen, die reichsten und*

-niaci quidem belli historiam a ceterorum motuum existimatione alienam esse, quos sub iisdem regibus Spartae evenisse legimus. Et primum quidem Partheniarum fortunam inter omnes constat arctissime cum hujus belli vicissitudine cohaerere [28]), quos sive cum Ephoro ex juventute ad generandam sobolem domum remissa [29]), sive, quod multo magis probandum videtur, ex Helotum cum mulieribus Spartanis contubernio [30]) natos esse statuimus, hoc semper manet Lacedaemonios, postquam augendo civium numero omnes, quas

---

biedersten Beisassen unter die Spartiaten auf und vergrösserte Lykurgs Stammgüter um die Hälfte! Lachmann l. c. p. 194: *wir sehen aus ihm* (ex apophthegmate Polydori sup. not 21 allato) *dass das Bedürfniss neuer Grundstücke für die Ausstattung der niederen Damoden den Adel zu der Eroberung nöthigte* etc.

28) Cf. quos laudavi in Lehrbuch cit. §. 80, not. 3. Lorentzium enim non miror, qui quod in disp. de origine veterum Tarentinorum, Berol. 1827. 8, p. 38 sqq. ex solo Dionys. Perieg. 376 Amyclaeos sibi Parthenias colligere visus est, non animadvertit vulgarem quoque narrationem, modo ἐπευνακτὰς natos fuisse statuamus, eo conducere ut paterna stirpe Achaei fuerint, quorum coloniis etiam Strabo VI, p. 262 et Livius XXV. 15 Tarentum annumerant, nec negaverim vel Amyclaeos ac Partheniarum coloniae adjunxisse ex oppido recens capto, praesertim quum hos societatem cum Helotibus iniisse legamus; ipsos tamen Parthenias nemo cautus a Messeniaci belli memoria disjunget.

29) Apud. Strab. VI, p. 279; cf. Justin. III 4 et Dionys. Hal. exc. archaeol. XVII. 1.

30) Cf. Acron ad Horat. Od. II, 6. 12: *Phalantus Lacedaemonius fuit, ejectus patria hac culpa, quod absentibus Lacedaemoniis filiae eorum ex servis gravidatae natos ediderunt, postea reversi patres tali culpa genitos expulerunt, quorum dux Phalantus fuit*; neque aliena est Antiochi narratio apud Strab. VI, p. 278, si quidem hi quos ille ait *μὴ μετασχόντας Λακεδαιμονίων τῆς στρατείας κριθῆναι δούλους καὶ ὀνομασθῆναι Εἵλωτας*, ipsi potius Helotes habendi sunt, quorum ex genere Parthenias prodiere; hanc ipsam enim vim ἐπευνακτὰς, quo nomine Diodor. exc. Vat. VII. 12 hos appellat, Athenaeus VI. 101 tribuit: *ἀποθανόντων πολλῶν Λακεδαιμονίων ἐν τῷ πρὸς Μεσσηνίους πολέμῳ οἱ περιλειφθέντες . . ἀνεβίβασαν τῶν εἱλώτων ἐφ' ἑκάστην στιβάδα τῶν τετελευτηκότων τινάς, οὓς καὶ πολίτας ὕστερον ποιήσαντες προσηγόρευσαν ἐπευνάκτους*: cf. Weberi, auditoris olim mei, disp. de Gytheo et Lacc. rebus navalibus, Heidelb. 1832. 8, p. 18.

Lycurgus permiserat, machinas adhibuerint, mox compositis bellis, quae diuturna gessissent, ipsis incrementis perterritos nimiam multitudinem colonia deducenda coërcuisse; neque in his subsistendum arbitror, sed Aristotele duce, qui alio loco Parthenias narrat debita juris aequabilitate privatos seditionem movisse [31]), alio autem Spartanorum numerum sub prioribus regibus civitate cum alienis hominibus communicanda, ne militum penuria laborarent, aliquando ad decem millia increvisse tradit [32]), haec ita inter se committo, ut Lacedaemonii post primum bellum Messeniacum, civium numero novem millibus circumscripto et absoluto, reliquos, qui progenie quidem peregrini [33]) Lycurgeae tantum legis beneficio propter educationem cives facti essent [34]), capite deminutos ejecerint ipsamque illam Lycurgi largitatem ab hoc inde tempore propius ad naturam

31) Aristot. Politic. V. 6. 1: *ἐν δὲ ταῖς ἀριστοκρατίαις γίγνονται αἱ στάσεις διὰ τὸ ὀλίγους τῶν τιμῶν μετέχειν . . ὅταν ᾖ τὸ πλῆθος τῶν πεφρονηματισμένων ὡς ὅμοιον κατ' ἀρετήν· οἷον ἐν Λακεδαίμονι οἱ λεγόμενοι παρθενίαι· ἐκ τῶν ὁμοίων γὰρ ἦσαν· οὓς φωράσαντες ἐπιβουλεύσαντας ἀπέστειλαν Τάραντος οἰκιστάς.*

32) Ibid. II. 6. 12: *λέγουσι δὲ ὡς ἐπὶ μὲν τῶν προτέρων βασιλέων μετεδίδοσαν τῆς πολιτείας, ὥστ' οὐ γίνεσθαι τότε ὀλιγανθρωπίαν πολεμούντων πολὺν χρόνον* (cf. sup. diss. p. 22) *καί φασιν εἶναί ποτε τοῖς Σπαρτιάταις καὶ μυρίους.*

33) Qui enim matrem tantum civem habebant, peregrini inter Graecos censebantur, cf. Aristot. Politic III. 3. 4: *ἐν πολλαῖς δὲ πολιτείαις προσεφέλκεται καὶ τῶν ξένων ὁ νόμος· ὁ γὰρ ἐκ πολίτιδος ἔν τισι δημοκρατίαις πολίτης ἐστί.*

34) Contrarium quidem narrat Eustathius ad Dionys. Perieg. v. 377: *οἱ δὲ τεχθέντες εἶτα μὴ τραφέντες γνησίως καὶ εὐγενῶς κατὰ τοὺς νόμους τοῦ Λυκούργου, ἄλλως καὶ οὐχ ὡς ἔδει πολιτεύοντο ἕως οὗ μετὰ ἐννεακαίδεκα ἔτη Μεσσήνης ἁλούσης ἐπανελθόντες οἱ ἐκ τοῦ πολέμου καὶ μοχθηρὰν εὑρόντες τὴν πολιτείαν ἐξήλασαν αὐτούς*: huic tamen facile Aristotelis auctoritatem opponimus, qui Parthenias *ἐκ τῶν ὁμοίων* fuisse affirmat; Lycurgus enim, ut Xenophontis verbis utar de Republ. Lacc. X. 7, *εἴ τις ἀποδειλιάσειε τοῦ τὰ νόμιμα διαπονεῖσθαι, τοῦτον ἐκεῖ ἀπέδειξε μὴ νομίζεσθαι ἔτι τῶν ὁμοίων εἶναι.*

redeuntes ad spurios tantum vel adoptaticios restrinxerint [35]). Quanquam hoc in suspicione tantum positum est; illud clarissimo testimonio nititur, quod apud Plutarchum legimus eosdem reges Polydorum et Theopompum, quum plebs in concionibus sententias sibi propositas addendo et demendo pervertere et adulterare coepisset, antiquae legi Lycurgeae, qua populo summa auctoritas et imperium datum erat, novam insuper cautionem adscripsisse, ut si perversam plebs sententiam arriperet, senatus cum regibus discessionem faceret [36]); qua etsi nihil aliud sanxisse videntur, nisi quod jam Lycurgo propositum fuerat [37]), tamen etiam haec inter bellorum strepitum turbata nova confirmatione indiguisse apparet. Omnium autem gravissimum est quod et ipsum a Theopompo novatum magnisque incrementis auctum locupletissimis testibus credimus [38]), ephororum institutum, quod qui ab ipso Lycurgo repetunt, praeter universam legislatoris famam illud imprimis secuti esse videntur, quod multis

35) Cf. de Homoeis p. 10.

36) Plut. V. Lycurg. c. 6: *ὕστερον μέντοι τῶν πολλῶν ἀφαιρέσει καὶ προσθέσει τὰς γνώμας διαστρεφόντων καὶ παραβιαζομένων, Πολύδωρος καὶ Θεόπομπος οἱ βασιλεῖς τάδε τῇ ῥήτρᾳ παρενέγραψαν· αἰ δὲ σκολιὰν ὁ δᾶμος αἱροῖτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας ἦμεν, τοῦτ' ἐστὶ μὴ κυροῦν ἀλλ' ὅλως ἀφίστασθαι καὶ διαλύειν τὸν δῆμον, ὡς ἐκτρέποντα καὶ μεταποιοῦντα τὴν γνώμην παρὰ τὸ βέλτιστον.*

37) In Creta certe, unde ille veteris disciplinae exemplar repetiisse fertur, idem obtinuisse testatur Aristot. Politic II 7. 4: *ἐκκλησίας δὲ μετέχουσι πάντες, κυρία δ' οὐδενός ἐστιν ἀλλ' ἢ συνεπιψηφίσαι τὰ δόξαντα τοῖς γέρουσι καὶ τοῖς κόσμοις*: quo tamen ne quis rursum nimis exiguam plebis auctoritatem describi putet, egregie prospexit Schömannus de ecclesiis Lacedd. p. 19.

38) Cf. quos laudavi in Lehrbuch cit. §. 43, not. 5, quibus jam accedunt et Limburg-Brouwer T. 1, p. 199 et Thirlwall Gesch. Griechenlands übers. v. Haymann, Bonn 1839. 8, T. 1 p. 373.

hoc demum magistratu respublica Lacedaemoniorum ab omni parte absolvi et confirmari videbatur [39]; Plato tamen et Plutarchus, quanquam in eadem sententia sunt, posteriorem ejus originem claris verbis agnoscunt [40], utque rhetram mittam, in qua praeter reges et senatores etiam ephororum mentionem fieri necessarium erat, si jam a Lycurgo tantam quantam posterius habebant potestatem accepissent [41], vel hoc diversos a Lycurgea republica ostendit, quod quum hic honorum quos ipse constituisset aditum syssitiorum et educationis communione circumscripsisset, posterius orto inter Homoeos et plebem discrimine senatores ex Homoeis tantum, ephori ex omnibus qui quidem natura Spartani essent capiebantur [42]. Illud tantum viri doctissimi intellexerunt, jam sub Lycurgo adeoque fortasse etiam ante illum fuisse qui ephororum nomine privatas lites

39) Epist. Pseudo-Plat. VIII, p. 354 B: *σοφὸς ἀνὴρ καὶ ἀγαθὸς Λυκοῦργος . . . φάρμακον ἐπήνεγκε τὴν τῶν γερόντων ἀρχὴν καὶ τὸν τῶν ἐφόρων δεσμὸν τῆς βασιλικῆς ἀρχῆς σωτήριον*: cf. Xenoph. Rep. Lacedd. VIII. 3: *εἰκὸς δὲ καὶ τὴν τῆς ἐφορείας δύναμιν τοὺς αὐτοὺς τούτους συγκατασκευάσαι, ἐπείπερ ἔγνωσαν τὸ πείθεσθαι μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι*, inque universum Aristot. Politic. II. 3. 10: *εἶναι γὰρ αὐτὴν οἱ μὲν ἐξ ὀλιγαρχίας καὶ μοναρχίας καὶ δημοκρατίας φασί, λέγοντες τὴν μὲν βασιλείαν μοναρχίαν, τὴν δὲ τῶν γερόντων ἀρχὴν ὀλιγαρχίαν, δημοκρατεῖσθαι δὲ κατὰ τὴν τῶν ἐφόρων ἀρχήν.*

40) Plat. Legg. III, p. 692 A: *ὁ δὲ τρίτος σωτὴρ ὑμῖν ἔτι σπαργῶσαν καὶ θυμουμένην τὴν ἀρχὴν ὁρῶν οἷον ψάλιον ἐνέβαλεν αὐτῇ τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν*: Plut. V. Lycurg. c. 29: *ἡ γὰρ τῶν ἐφόρων κατάστασις οὐκ ἄνεσις ἦν ἀλλ' ἐπίτασις τῆς πολιτείας καὶ δοκοῦσα πρὸς τοῦ δήμου γεγονέναι σφοδροτέραν ἐποίησε τὴν ἀριστοκρατίαν.*

41) Schömann. de eccl. Lacedd. p. 7: *ferebant ad populum antiquitus reges tantummodo cum senatu, qui propterea ἄρχειν βουλῆς dicuntur Tyrtaei versibus* (Plut. V. Lycurg. c. 6); *postea hoc jus ephoris quoque datum est etc.* Cf. Müller. Dor. T. II, p. 113 et Tittmann Darst. d. griech. Staatsverf. p. 105.

42) Aristot. Politic. II. 6. 15: *οἱ μὲν οὖν βασιλεῖς διὰ τὴν αὐτῶν τιμὴν οὕτως ἔχουσιν, οἱ δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ διὰ τὴν γερουσίαν . . ὁ δὲ δῆμος διὰ τὴν ἐφορείαν· καθίσταται γὰρ ἐξ ἁπάντων*: cf. IV. 7. 5: *τοὺς μὲν γὰρ γέροντας αἱροῦνται, τῆς δὲ ἐφορείας μετέχουσι*, nosque de Homoeis p. 15.

judicarent iisque muneribus fungerentur, quibus posterius totidem minores ephori destinati esse videntur [43]; ephoros certe legimus populi verbis illud jusjurandum praestitisse, quo Lycurgus singulis mensibus regibus potestatem suam publice confirmari jusserat [44]), neque intelligeremus, quomodo vel constitui a regibus potuerint, nisi eadem judicia, quibus postea ipsis regibus metuendi fuerunt, initio regum loco in singulas ut videtur tribus exercuissent [45]); ne quis tamen ideo nullam Theopompi mutationem fuisse censeat, si vel hoc solum plebi concessit, ut ephori regum obsequio et observantia liberarentur [46]), in tanto judiciariae potestatis apud antiquos pondere [47]), quidquid posterius juris asciverunt, ex hac una concessione sequi poterat, praesertim quum eo modo lecti esse dicantur, qui

---

43) Cf. Barthélemy voy. d'Anach. T. IV, p. 322: *il est donc très-vraisemblable, que Lycurgue laissa quelques fonctions aux Ephores déjà établis avant lui, et que Théopompe leur accorda des prérogatives, qui firent ensuite pencher le gouvernement vers l'oligarchie;* Clinton. Fast. Hell. T. I, p. 338: *this difference may be reconciled, if we suppose the Ephors to have existed in the time of Lycurgus, but to have received their powers in the time of Theopompus;* et de minoribus ephoris (apud Tim. lex. Plat. p. 128) Lachmann p. 164: *so waren den Ephoren selbst, als sie später sich zu der obersten Staatsbehörde erhoben hatten, fünf kleine Ephoren zur Seite, höchst wahrscheinlich für ihr ursprüngliches Richteramt,* probante etiam Schömanno antiqu. p. 129.

44) Xenoph. Rep. Lacedd. XV. 7: *καὶ ὅρκους δὲ ἀλλήλοις κατὰ μῆνα ποιοῦνται, ἔφοροι μὲν ὑπὲρ τῆς πόλεως, βασιλεὺς δ' ὑπὲρ αὑτοῦ κ. τ. λ.*

45) Cf. sup. disput. p. 16 deque ephororum judiciis in universum Aristot. Politic. III, 1. 7 et Plut. Apophth. Lac. T. VIII, p. 207.

46) Xenoph. Rep. Lac. XV. 6: *καὶ ἕδρας δὲ πάντες ὑπανίστανται βασιλεῖ, πλὴν οὐκ ἔφοροι ἀπὸ τῶν ἐφορικῶν δίφρων:* cf. Plutarch. Apophth. Lacc. T. VIII, p. 197: *Ἀναξίλας πρὸς τὸν θαυμάζοντα, διὰ τί οἱ ἔφοροι τοῖς βασιλεῦσιν οὐχ ὑπεξανίστανται, καὶ ταῦτα ὑπὸ τῶν βασιλέων καθιστάμενοι, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, ἔφη, δι' ἣν ἐφορεύουσιν:* addo reip. praec. c. 21.

47) Lehrbuch §. 53, n. 7.

fortunae plus arbitrii quam regibus permitteret [48]. Sed haec, quae ad singularia hujus magistratus pertinent, et ab aliis et a me ipso alibi satis disputata sunt; nunc ea quaestio restat, quo potissimum tempore Theopompus eam vim ephoris addiderit, quem quum modo viderimus rhetrae illo additamento plebis arrogantiam insigniter repressisse, fuit qui eundem regali potestati tantum detraxisse, quantum per ephororum augmenta damni accepit, protinus negaret [49], alii vero haud profecto improbabiliter hoc ipso ephororum instituto plebi quod per rhetram amisisset compensatum esse suspicantur [50]; quod si Polydorus, additamenti illius particeps, durante demum bello Messeniaco regnare coepit, Theopompus autem etsi non, ut quidam volunt, sub ipsum belli finem [51], attamen haud multo post mortuus est [52], videndum erit, num extrema Theopompi vita epho-

---

48) Aristot. Politic. II. 6. 16: *ὄντες οἱ τυχόντες*: cf. Lehrbuch §. 44, n. 4. A populo tamen lectos, quod putant Müller. Dor. T. II, p. 117 et Schömann. antiqu. p. 129, claris verbis negat Aristot. Politic. IV. 7. 5, ubi senatores a plebe, ephoros ex plebe tantum legi docet; cf. sup. not. 42.

49) Müller. Dor. T. II, p. 114.

50) Cf. Platner. in Tübinger jurist. Zeitschr. T. V, P. 1., p 23 et Lewis. in Philol. Mus. Cantabrig. T. II, p. 52: *Dr. Arnold reconciles these apparently contradictory accounts by supposing that the rhetra of Theopompus brought matters between the Heraclidae and Dorians to a crisis; a reaction followed, and the king was obliged to confirm those liberties, which he had vainly endeavoured to overthrow.*

51) Pausan. IV. 6. 2: *Μύρωνα δὲ ἐπί τε ἄλλοις καταμαθεῖν ἔστιν οὐ προορώμενον εἰ ψευδῆ τε καὶ οὐ πιθανὰ δόξει λέγειν, καὶ οὐχ ἥκιστα ἐν τῇδε τῇ Μεσσηνίᾳ συγγραφῇ· πεποίηκε γὰρ ὡς ἀποκτείνειε Θεόπομπον τὸν Λακεδαιμονίων βασιλέα Ἀριστομένης ὀλίγον πρὸ τῆς Ἀριστοδήμου τελευτῆς, Θεόπομπον δὲ οὔτε μάχης γενομένης οὔτε ἄλλως προαποθανόντα ἴσμεν πρὶν ἢ διαπολεμηθῆναι τὸν πόλεμον*: cf. Clavier. hist. d. prem. tems T. II, p. 203 sq.

52) Si quidem teste Pausan. III. 7. 4 *Θεοπόμπου ἔτι ἔχοντος τὴν ἀρχὴν ἐν Σπάρτῃ γίνεται καὶ ὁ περὶ τῆς Θυρεάτιδος καλουμένης χώρας Λακεδαιμονίοις ἀγὼν πρὸς Ἀργείους*, quod bellum

ros constitutos esse appareat. Et Plutarchi quidem auctoritate vix uti licebit; qui quanquam claris verbis Messeniaco bello institutos tradit [53]), illud certe quod tum primum, regibus scilicet per bellum impeditis, ad horum vices gerendas inventos posterius demum majorem potentiam per abusum nactos esse addit, notissimo illi Theopompi dicto, qui propter imminutam regiam potestatem reprehensus eo diuturniorem fore respondit [54]), adeo contrarium est, ut eum tempora confudisse manifestum sit; Eusebius autem protinus obstare videtur, cui si primum ephorum Olymp. V factum credimus, bellum Messeniacum, cujus idem principium in Olymp. IX ponit, sedecim annis antecedet [55]); nos tamen ut nihilominus illorum virorum sententiam amplectamur, ipse Eusebius efficit, qui quum Alcamenem Polydori patrem, cujus mortem circa quartum belli annum, hoc est Olymp. X. 1 Pausanias collocat, sub initium Olympiadum obiisse tradat, ejusdem erroris constantia, dum ephororum institutionem ipsius Polydori anno decimo sexto tribuit, qui nobis est Olymp. XIV. 1, stabilire potius quam infirmare sententiam nostram videtur. Hoc vero posito in tanta temporum propinquitate ne illud quidem in

---

Olymp. XV. 3 ortum esse Eusebius tradit; *Θεόπομπος δὲ αὐτὸς οὐ μετεῖχε τοῦ ἔργου γήρᾳ καὶ ὑπὸ λύπης τὸ πλέον*: cf. Clinton. T. I, p. 170.

53) Plutarch. V. Cleom. c. 10.

54) Aristot. Politic. V. 9. 1: *τῆς γὰρ δυνάμεως ἀφελὼν ηὔξησε τῷ χρόνῳ τὴν βασιλείαν, ὥστε τρόπον τινὰ ἐποίησεν οὐκ ἐλάττονα ἀλλὰ μείζονα αὐτήν· ὅπερ καὶ πρὸς τὴν γυναῖκα ἀποκρίνασθαί φασιν αὐτὸν εἰποῦσαν, εἰ μηδὲν αἰσχύνεται τὴν βασιλείαν ἐλάττω παραδιδοὺς τοῖς υἱέσιν ἢ παρὰ τοῦ πατρὸς παρέλαβεν· οὐ δῆτα, φάναι, παραδίδωμι γὰρ πολυχρονιωτέραν*: cf. Plut. V. Lycurg. c. 7 nec dissimile ejusdem dictum apud eund. praec. reip. c. 20.

55) Euseb. Chron. Armen. fol. II, p. 99; Syncell. p. 148 D.

dubitationem vocari poterit, quod superius suspicati sumus omnium quas hactenus tractavimus novationum causas in motibus per victoriam Messeniacam ortis quaerendas esse, quos satis diuturnos fuisse vel inde patet, quod ipsi Partheniae Ol. XVIII demum Tarentum profecti esse dicuntur [56]); modo ne quis hic quoque cum Pastoreto ad regum discordiam confugiat, quorum alter, ut regnum a collegae invidia tueretur, ephoros plebi concesserit [57]); Polydori enim et Theopompi magnam concordiam fuisse insigne veteris scriptoris testimonium suadet [58]), tantumque abest ut hic illum superasse popularitate videatur, ut nullum unquam Spartanorum regem plebi gratiorem fuisse quam Polydorum legamus [59]); sin quis nece ejusdem inductus, quam ei homo haud obscurus inter Spartanos Polemarchus obtulisse fertur [60]), δῆμον Pausaniae, prout in superiore disputatione vidimus, indigenas potius

---

56) Lorentz de orig. Tarent. p. 45.

57) Pastoret hist. de la législ. T. V; p. 218: *Théopompe étoit de la branche cadette; c'est à elle qu'une ombrageuse inquiétude envers une branche ainée, qui auroit voulue occuper seule le trône, devoit naturellement inspirer l'idée de se rapprocher au peuple, de le flatter et de lui accorder des magistrats particuliers* etc.

58) Polyaen. Strategg. I 15: *Πολύδωρος, Λακεδαιμονίων Μεσσηνίοις πολεμούντων εἴκοσιν ἔτεσι, πρὸς τὸν ἀπὸ τῆς ἑτέρας οἰκίας βασιλέα Θεόπομπον διαφορὰν ὑπεκρίνατο καὶ αὐτόμολον ἔπεμψεν ἀγγέλλοντα, ὅτι στασιάζουσι δὴ καὶ καταλείψουσιν ἀλλήλους κ. τ. λ.*, unde apparet qui hostium fallendorum causa inimicitias simularint, falsosque mox communi consilio aggressi vicerint, infestos inter se revera non fuisse.

59) Paus. III. 3. 2: *Πολύδωρον εὐδοκιμοῦντα ἐν Σπάρτῃ καὶ κατὰ γνώμην Λακεδαιμονίων μάλιστα ὄντα τῷ δήμῳ — οὔτε γὰρ ἔργον βίαιον οὔτε ὑβριστὴν λόγον παρεῖχεν εἰς οὐδένα, ἐν δὲ ταῖς κρίσεσι τὰ δίκαια ἐφύλασσεν οὐκ ἄνευ φιλανθρωπίας κ. τ. λ.* Adde eund. c. 11. 8.

60) Ibidem: *ἔχοντος δὲ ἤδη Πολυδώρου λαμπρὸν ἀνὰ πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα ὄνομα, Πολέμαρχος οἰκίας ἐν Λακεδαίμονι ἀνὴρ οὐκ ἀδόξου, θρασύτερος δὲ ὡς ἐδήλωσε γνώμην, φονεύει τὸν Πολύδωρον κ. τ. λ.*; id quod recte Clinton. T. I, p. 338 post Olymp. XVI factum esse monet, quia hoc tempore superstite Polydoro coloniae Crotonem et Locros deductae esse dicuntur.

significare velit, quorum ope reges potentiam suam contra Dorienses augere voluerint, ita saltem rem commodissime informabimus, ut primum ambo reges conjuncta opera populum refrenarint, mox autem eidem reluctanti Theopompus quidem senectute et taedio confectus (cf. not. 52) cesserit, Polydorus vero, si quid hariolari licet, Partheniarum auxilio aliquantisper restiterit, donec ipso occiso Partheniisque in coloniam exactis civitas novis quae vidimus institutis restaurata aliquantisper conquieverit.

III.

Atqui sunt qui ne in his quidem conquievisse miseros Spartanos patiantur, sed paucis post lustris iterum turbas seditionesque exstitisse statuant; si quidem constat Terpandrum musicum Lesbium aliquando Lacedaemonem vocatum esse ut motus civiles vi artis suae medicatrice compesceret [61]), hunc autem alii circa Olymp. XXVI vixisse [62]), alii etiam posterius Olymp. XXXIV floruisse conten-

61) Plutarchi auctoritatem sup. not. 11 adhibitam confirmant Philodemus in Vol. Hercul. T. I, col. 19, Diodor. Sic. apud Tzetz. Chiliad. I, 385, Aristid. de Quatuorv. T. II, p. 246 et 253, et qui proverbium *μετὰ Λέσβιον ᾠδὸν* illustrant grammatici, Aristotelem secuti, qui, ut Eustathius ait ad Iliad. IX. 129, *ἐν τῇ Λακεδαιμονίων πολιτείᾳ τὸ μετὰ Λέσβιον ᾠδὸν τὸν Τέρπανδρόν φησι δηλοῦν*, *ἤδη μάλιστα*, ut inepte Basileenses, unde Meinekius fragm. com. Graec. T. II, p. 160 *non certum aliquem poëtam Lesbium, sed omnino Lesbiorum gentem musica arte florentissimam illi proverbio ansam dedisse* collegit; cf. potius Plutarch. de sera num. vind. c. 13 et Paroemiogr. Gaisford. p. 149: *Λακεδαιμονίων γάρ ποτε παρὰ τὰς συνουσίας ἐξυβριζόντων εἰς σφᾶς αὐτοὺς καὶ πυνθανομένων πῶς ἂν τὸ κακὸν τῆς ὕβρεως λυθείη, ἔχρησεν Ἀπόλλων τὸν Λέσβιον ᾠδὸν μεταπέμπεσθαι· τῶν δὲ Τέρπανδρον ἐκ Λέσβου μεταπεμψαμένων καὶ διὰ τοῦτον παρὰ τὰς ἡσυχίας ὑπὸ τῆς μουσικῆς ἁρμοζομένων τὰς ψυχὰς λῆξαι τὸ κακόν κ. τ. λ.*

62) Cf. Plehn. Lesbiaca, Berol. 1826. 8, p. 143 sqq. Ulrici Gesch. der hellen. Dichtkunst T. II p. 342 etc.

dunt [63]); idque ad nostrum quoque institutum eo propius attinet, quo certius est universam musicae Graecae rationem, cui ipsos Spartanos plurimum tribuisse novimus, a Terpandro tantas mutationes accepisse, ut vel hinc appareat illos a novis inventis asciscendis, modo vera artium modorumque incrementa continerent, neutiquam alienos fuisse [64]). Nam quod apud Plutarchum legimus illi quoque idem quod aliquot saeculis post Timotheo accidisse, ut ephori chordam, quam praeter veterem morem lyrae addidisset, reciderent [65]), neque reliquis locupletissimorum auctorum narrationibus consentaneum est, qui Terpandrum tribus potius nervis adjectis heptachordum pro tetrachordo fecisse tradunt [66]), octochordum contra vel Lycaoni Samio vel Pythagorae tribuunt [67]), neque cum ea auctoritate conciliari potest, qua is Spartae usus esse unanimi omnium scriptorum consensu fertur [68]); quos etsi perperam intellexerunt qui Terpandrum Lycurgi

---

63) Sic jam Chron. Parium ep. 34 idque secuti Clinton. Fast. Hell. I, p. 365; Dodwell. de cyclis p. 130; Müller. Dor. T. II, p. 317 et G. G. A. 1837, p. 908.

64) Cf. Plut. de Musica c. 12: προτέρα μὲν γὰρ ἡ Τερπάνδρου καινοτομία καλόν τινα τρόπον εἰς τὴν μουσικὴν εἰσήγαγε. praeterque Plehnium et Ulricium l. c. Deswert de Heracl. Pont. p. 139.

65) Institt. Lac. T. VIII, p. 251: εἰ δέ τις παραβαίνοι τι τῆς ἀρχαίας μουσικῆς, οὐκ ἐπέτρεπον, ἀλλὰ καὶ τὸν Τέρπανδρον ἀρχαικώτερον ὄντα καὶ ἄριστον τῶν καθ' ἑαυτὸν κιθαρῳδῶν καὶ τῶν ἡρωικῶν πράξεων ἐπαινέτην ὅμως οἱ ἔφοροι ἐζημίωσαν καὶ τὴν κιθάραν αὐτοῦ προσεπαττάλευσαν φέροντες, ὅτι μίαν μόνην χορδὴν ἐνέτεινε περισσοτέραν τοῦ ποικίλου τῆς φωνῆς χάριν: quod tamen recte Ulricius p. 344 ad Phrynidis vel Timothei exemplum fictum censet; Prideauxium, qui Terpandrum in jus vocatum sed absolutum esse conjecit, redarguit Plehnius p. 151.

66) Cf. ipsius versus apud Strab. XIII, p. 618 pluraque apud Plehnium p. 149 et Bodium de Orpheo poëta p. 177.

67) Cf. Boeckh. de metris Pind. p. 205 sq. — Simonidem narrat Plinius Hist. Nat. VII, 56, §. 201.

68) Cf. Muller. Dor. T. II, p. 320 sqq., Bodii Gesch. der hellen. Dichtkunst T. II,

leges modis ad cantum concinnasse crediderunt [69]), hoc certe docent modos quos ille fecisset ipso vocabulo legibus pares habitos esse [70]), nec profecto exsistere potuisset qui ipsius Lycurgi aequalem diceret [71]), nisi tanta ejus musicae et simplicitas et perennitas fuisset, ut ab ipsis rei publicae primordiis repetenda videretur [72]). Sed hujus quidem temporum notationis tam manifestus error est, ut ea examinanda supersedere liceat; gravior quaestio est de Olymp. XXVI, qua quum Carnei ludi primum Spartae instituti esse tradantur [73]), Terpandro, quem primam musici hujus certaminis victoriam reportasse insigni Hellanici testimonio credimus [74]), plurimi

---

P. 1, p. 38 sqq., inque primis Plutarch. de Musica c. 9: *ἡ μὲν οὖν πρώτη κατάστασις τῶν περὶ τὴν μουσικὴν ἐν τῇ Σπάρτῃ Τερπάνδρου καταστήσαντος γεγένηται.*

69) Clem. Alex. Stromatt. I, p. 308: *μέλος τε αὖ πρῶτος περιέθηκε τοῖς ποιήμασι καὶ τοὺς Λακεδαιμονίων νόμους ἐμελοποίησε*, unde nescio quas *civiles Lacedaemoniorum leges versibus heroicis conscriptas* extricarunt Plehnius p. 157 et Bodius de Orpheo p. 15 coll. hellen. Dichtkunst T. II, P. 1, p. 205, neque adeo immunes errore esse videntur Müllerus Dor. T. II, p. 377 et Bernhardyus Grundriss d. griech. Liter. p. 250, quorum alter: *die Gesetze wurden ohne Zweifel episch oder elegisch abgefasst*, alter: *er trug die Satzungen und Kernsprüche des Volkes melodisch vor*; verum unice vidit Nitzsch. de histor. Homeri T. I, p. 31—43.

70) Plutarch. de Musica c. 6: *νόμοι γὰρ προσηγορεύθησαν, ἐπειδὴ οὐκ ἐξῆν παραβῆναι καθ' ἕκαστον νενομισμένον εἶδος τῆς τάσεως*: cf. Plat. Legg. III, p. 700 B et Spanhem. ad Callim. H. in Delum v. 304 cum Kleinio ad Stesichori fragm. p. 115 sqq ipsoque Bodio l. c. p. 193 sqq.

71) Athen. XIV. 37: *Ἱερώνυμος δ' ἐν τῷ περὶ κιθαρῳδῶν . . κατὰ Λυκοῦργον τὸν νομοθέτην τὸν Τέρπανδρόν φησι γενέσθαι.*

72) Cf. Plut. de Musica c. 6: *τὸ δ' ὅλον ἡ μὲν Τερπάνδρου κιθαρῳδία καὶ μέχρι τῆς Φρύνιδος ἡλικίας παντελῶς ἁπλῆ τις οὖσα διετέλει*: neque Spartanorum in ipso benevolentiam substitisse Pericliti exemplum ostendit, quem itidem Lesbium Plutarchus Carnea vicisse narrat, ut mittam Evaenetidem et Aristoclidem apud Eustath. ad Iliad. IX. 129, quos ex eadem disciplina prodiisse consentaneum est.

73) V. Julius Afric. apud Euseb. Chron. I, p. 135 Armen.

74) Athen. XIV. 37: *τὰ Κάρνεια πρῶτος πάντων Τέρπανδρος νικᾷ, ὡς Ἑλλάνικος ἱστορεῖ . .*

eandem aetatem assignare non dubitarunt, Plutarchoque, qui Glaucum Rheginum secutus Archilocho illum majorem statuit [75]), Phaniam Eresium opposuerunt, qui eodem minorem fecisse fertur [76]), quod si Archilochum circa Olymp. XX floruisse certum est [77]), his omnibus comprehensis nihil restaret, nisi ut vix composita Partheniarum seditione novas turbas inter Spartanos exarsisse statueremus, quae nisi Terpandri opera sedari non potuissent. At enim bonum factum, quod idem Hellanicus Terpandrum Midae Phrygiae regis aequalem dixerat [78]), quem quum ipse Eusebius circa Olymp. XXI mortem sibi conscivisse tradat [79]), nescio quomodo temere egerunt viri doctissimi, qui confusis Hellanici et Sosibii testimoniis Olympiadis notationem, qua vetustissimi scriptores omnino ne usi quidem esse videntur [80]), ad illum retulerunt grammaticique computationem [81])

ἐγένετο δὲ ἡ θέσις τῶν Καρνείων κατὰ τὴν ἕκτην καὶ εἰκοστὴν Ὀλυμπιάδα, ὡς Σωσίβιός φησιν ἐν τῷ περὶ χρόνων.

75) Plutarch. de Musica c. 4: *καὶ τοῖς χρόνοις δὲ σφόδρα παλαιός ἐστι· πρεσβύτερον γοῦν αὐτὸν Ἀρχιλόχου ἀποφαίνει Γλαῦκος ὁ ἐξ Ἰταλίας κ. τ. λ.*

76) Clem. Alex. Stromatt. I, p. 333: *Φανίας δὲ πρὸ Τερπάνδρου τιθεὶς Λέσχην τὸν Λέσβιον Ἀρχιλόχου νεώτερον φέρει τὸν Τέρπανδρον.*

77) Caesar. de carm. Graec. eleg. orig. et notione, Marb. 1837. 8, p. 59 sqq.

78) Clem. Alex. ibidem: *καὶ μὴν καὶ Τέρπανδρον ἀρχαΐζουσί τινες· Ἑλλάνικος γοῦν τοῦτον ἱστορεῖ κατὰ Μίδαν γεγονέναι.*

79) Cf. Euseb. Chron. II, p. 103 pleraque apud Clinton. Fast. Hell. T. I, p. 346. Miro errore Plehnius p. 143 huic quoque vicesimam sextam tribuit.

80) Hellanicum Argivarum potius sacerdotum serie tempora notasse monui in Lehrbuch cit. §. 4, not. 1, quae Timaeum demum ad Olympiadum annos reduxisse testatur Polybius XII, 12. 1; cf. etiam Krügeri philol. histor. Studien p. 55.

81) Grammaticum fuisse Sosibium ex eorum numero, qui λυτικοί dicebantur (cf. Lehrs. de stud. Aristarch. p. 227) constat ex Suida et Athen. XI. 85; aetatem autem circa Cassandrum et Callimachum cognoscimus ex eodem IV. 25; cf. Meurs. misc. Lac. p. 325 et Eichstad. de dram. com. satyr. p. 8.

pro testis paene aequalis auctoritate venditarunt [82]); neque Archilochum quod attinet, Phaniae auctoritatem video cur Glauco praeferamus, quorum alter Aristotelis discipulus, etiamsi fide dignissimum inter ceteros Peripateticos fuisse Luzacio credamus [83]), tamen jam ea aetate vixit, qua vetustorum temporum memoriam misere confundi coepisse ipsius Aristotelis testimonio apparet (cf. not. 93), alter autem Democriti aequalis [84]) et tempore propior fuit neque minorem Phania fidem jam inter antiquos invenisse videtur [85]). Sic igitur jam externa argumenta ad tempora Olymp. XX. antecedentia nos conducunt, eodemque accedit Clonae aetas, auloedicorum nomorum conditoris, quem et ipsum circa Olymp. XX florentem [86]) Terpander aetate antecessisse fertur [87]); internas vero rationes si sequimur,

---

82) Müller. in G. G. A. 1837, p. 907: *indem wir durch wohl zusammenhängende Data, welche aus den Katalogen der Karneoniken und Pythioniken entnommen sind, sicher wissen, dass Terpander von Ol. 26—32 in der Blüthe seines Ruhmes stand*; cf. Ulricium T. II, p. 312: *Plutarch's Angabe, wenn auch auf Glaukos Auctorität gestützt, muss hier ohne Zweifel dem Ansehn eines nicht viel jüngeren eingeborenen Historikers weichen*; quasi Hellanicus Glauco contradicat, non Sosibius, et si illi credimus Terpandrum priorem Carnea vicisse, hujus quoque temporum notatio eadem fide digna sit!

83) Cf. Luzaci lectt. Att. p. 143 pluraque de eo apud Boeckh. ad Corp. Inscr. T. II, p. 304 et Voisin. diatr. de Phania Eresio, Gandavi 1824. 8 cum censura Schuchii in Seebod. et Jahn. N. Jahrbb. 1831, T. II, p. 13 sqq.

84) Diogen. Laert. IX, 38. Cur Lobeckius Aglaoph. p. 321 eumque secutus Ulricius T. II, p. 213 eum Ol. LXIII vixisse narrent, nescio; quod autem personatus Plutarchus in Vitt. X Oratt. p. 224 Hutt. librum *περὶ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν* ab aliis Antiphonti tribui narrat, si vel maxime auctoritatem habeat, temporum rationes non turbabit.

85) Cf. omnino Jonsium de script. hist. philos. p. 26 et Bodium de Orpheo p. 14.

86) Ulrici T. II, p. 176.

87) Plutarch. de Musica c. 5: *Κλονᾶς δὲ ὁ τῶν αὐλῳδικῶν νόμων ποιητὴς ὀλίγῳ ὕστερον Τερπάνδρου γεγονώς . . μετὰ δὲ Τέρπανδρον καὶ Κλονᾶν Ἀρχίλοχος λέγεται γενέσθαι.*

nihil magis consentaneum est quam eum, qui in modis faciendis etiam tum pleraque ad epicum genus metrumque heroicum direxit [88]), Archilocho priorem fuisse, qui ipsa metrorum varietate et novitate inclaruit [89]), utque hujus ingenium a Spartanorum moribus alienum fuisse concedam [90]), alii restant ipsorum Lacedaemoniorum amicitia et hospitio insignes, quibus si Terpandrum vel aequalem vel adeo juniorem diceremus, legitimus artis progressus, quem ab hujus simplicitate originem habuisse ipsa rei natura suadet, mirum in modum infringeretur [91]). Quorum primus est Thales sive Thaletas Cretensis [92]), quem ut insigniter errant qui et ipsum Lycurgo comitem et magistrum adjungunt [93]), ita rectissime agere videntur,

88) Ibid. c. 3: *καὶ γὰρ τὸν Τέρπανδρον ἔφη κιθαρῳδικῶν ποιητὴν ὄντα νόμων κατὰ νόμον ἕκαστον τοῖς ἔπεσι τοῖς ἑαυτοῦ καὶ τοῖς Ὁμήρου μέλη περιτιθέντα ᾄδειν:* cf. Procli chrestom. apud Phot. Bibl. p. 329: *δοκεῖ δὲ Τέρπανδρος μὲν πρῶτος τελειῶσαι τὸν νόμον ἡρῴῳ μέτρῳ χρησάμενος*, pluraque apud Bodium Gesch. d. hellen. Dichtkunst T. II, P. 2. p. 365, qui quod nihilominus P. 1, p. 41 Terpandrum multa jam aliis numeris condidisse narrat, ex uno illo fragmento spondiaco apud Clementem profecto non sequitur; quod tantum abest ut Ulricio p. 218 strophicae conformationis initia prodere concedam, ut me quidem judice antiquissimae artis ruditatem referat.

89) Plutarch. de Musica c. 28.

90) Inst. Lacc. T. VIII, p. 253: *Ἀρχίλοχον τὸν ποιητὴν ἐν Λακεδαίμονι γενόμενον αὐτῆς ὥρας ἐδίωξαν διότι ἐπέγνωσαν αὐτὸν πεποιηκότα, ὡς κρεῖττόν ἐστιν ἀποβαλεῖν τὰ ὅπλα ἢ ἀποθανεῖν.*

91) Bernhardy Grundriss d. griech. Liter. T. I, p. 251: *aber auch die Versicherung des Glaukus, der ihn über Archilochus hinaufrückt, kann wohl bestehen; letzterer hatte bereits den strophischen Gesang von Chören zu ordnen, Terpander befasste sich bloss mit Choräle, und er stand noch dem Epiker am nächsten.*

92) Cf. Hoeck. Kreta T. III, p. 339 sqq. Nitzsch. de hist. Homeri T. I, p. 43 sqq. Bodii Gesch. d. hell. Dichtkunst T. II, P. 1, p. 42 sqq.

93) Cf. Strabo X, p. 482, Plut. V. Lycurg. c. 4, quosque praeterea laudat Clinton T. I, p. 150; recte tamen jam Aristot. Politic. II. 9. 5: *ἀλλὰ ταῦτα μὲν λέγουσιν ἀσκεπτότερον τῶν χρόνων.*

qui circa Olymp. XXVIII collocant [94]), utpote Polymnesto Colophonio memoratum [95]), quem rursum Alcmani notum vix infra Olymp. XXX detrudere licebit [96]); hunc autem Plutarchus non modo Archilochi inventa metrica adjectis Creticis numeris auxisse narrat [97]), sed etiam eundem cum Polymnesto inter eos nominat, qui secundam musicae artis constitutionem Spartae effecerint [98]); quae quum ita sint, nisi utramque eodem tempore factam, vel adeo simpliciorem musicum post cultiorem floruisse statueris [99]), decem Olympiadum intervallo Terpandrum a Thaleta dirimi haud profecto nimium censebis. Sequitur Tyrtaeus, qui licet et ipse seditionem ex victus penuria ortam sub secundi belli Messeniaci initium composuisse dicatur [100]), hanc tamen ab ea quam Terpander sedavit

94) Ut Clinton. Fast. Hellen. I, p. 191.

95) Cf. Paus. I. 14. 1: *Θάλητα δέ φησιν εἶναι Γορτύνιον Πολύμναστος Κολοφώνιος ἔπη Λακεδαιμονίοις ἐς αὐτὸν ποιήσας:* et de ipso Polymnesto omnino Franckii Callinum p. 13 et Bergk. de com. Att. reliqu. p. 230.

96) Plut. de Musica c. 5: *τοῦ δὲ Πολυμνήστου καὶ Πίνδαρος καὶ Ἀλκμὰν οἱ τῶν μελῶν ποιηταὶ ἐμνημόνευσαν:* ubi non est cur cum Müllero Dor. T. II, p. 322 Alcaeum substituamus.

97) Plutarch. de Musica c. 10: *Γλαῦκος γὰρ μετ' Ἀρχίλοχον φάσκων γεγενῆσθαι Θαλήταν μεμιμῆσθαι μὲν αὐτόν φησι τὰ Ἀρχιλόχου μέλη, ἐπὶ δὲ τὸ μακρότερον ἐκτεῖναι καὶ Παίωνα καὶ Κρητικὸν ῥυθμὸν εἰς τὴν μελοποιίαν ἐνθεῖναι;* cf. Strabo X, p. 481.

98) Plut. ibid. c. 9; v. inf. not. 109.

99) Ut Ulricius T. II, p. 215 et Clinton T. I, p. 201, quibus tamen jam Müllerus in G. G. A. 1837, p. 905 sqq. ita respondit, ut licet de singulis ab eo discedam, ipsum tamen artis decursum eundem cum illo statuam.

100) Cf. sup. not. 11 et Aristot. Politic. V. 6. 2: *ἢ ὅταν οἱ μὲν ἀπορῶσι λίαν, οἱ δ' εὐπορῶσι καὶ μάλιστα ἐν τοῖς πολέμοις τοῦτο γίγνεται· συνέβη δὲ καὶ τοῦτο ἐν Λακεδαίμονι ὑπὸ τὸν Μεσσηνιακὸν πόλεμον· δῆλον δὲ καὶ τοῦτο ἐκ τῆς Τυρταίου ποιήσεως τῆς καλουμένης Εὐνομίας· θλιβόμενοι γάρ τινες διὰ τὸν πόλεμον ἠξίουν ἀνάδαστον τὴν χώραν ποιεῖν,* quem locum nollem

diversam fuisse vel inde apparet, quod in tanta hujus claritate nihilo minus quidquid Lacedaemonii in illo bello musicae artis ope effecerunt soli Tyrtaeo tribuitur, neque omnino verisimile est eodem tempore, quo ille elegias et embateria anapaestica Spartanis attulit, Terpandrum in rudiore illa heroici carminis forma floruisse; atqui Tyrtaeus, si ipsius verba sequimur, cum eorum nepotibus vixit, qui priore bello Messenios devicerant [101]), unde nec ipsum facile infra Olymp. XXIX vel XXX deprimere licebit, tantumque abest ut huic computationi Eusebii auctoritatem, qui Olymp. XXXVII offert, praeferam [102]), ut ipsas hujus rationes per totum hoc tempus insigniter turbatas judicem. Cujus rei manifestissimum documentum est in tertio qui hic in censum venit poëta Alcmane, quem quum non exiguo tempore post Terpandrum vixisse et carminum ejus forma suadeat, quae tota strophica est [103]), et illud quod antea diximus evincat, Alcmanem vel Polymnesti mentionem fecisse, quem ipsum non modo Terpandro verum etiam Thaleta juniorem vidimus (not. 95 sqq.), Eusebii sectatores Hieronymus et Syncellus [104]) eundem

in Lehrbuch cit. §. 28, not. 2 ad Polydori distributionem retulissem; recte Müller. Dor. T. II, p. 191: *sie erklärt sich so, dass die Spartiaten, welche damals schon Kleren in Messenien hatten, und nun von diesen keine Erndten heimbringen konnten, von neuem auf Lakonika angewiesen seyn wollten*; v. sup. not. 21 sqq.

101) Paus. IV. 15. 1: *ἀμφ' αὐτὴν δ' ἐμάχοντ' ἐννεακαίδεκ' ἔτη . , πατέρων ἡμετέρων πατέρες.*

102) Cf. et Justin. III. 5, qui Messenios *per octoginta annos* servitutem passos narrat, pluraque apud Krebs. lectt. Diodor. p. 253 sqq. Propius ad nostras rationes accedit Müllerus Dor. I, p. 150, II, p. 490, G. G. A. 1837, p. 903, qui secundum bellum Messeniacum ab Olymp. XXX initium habuisse suspicatur.

103) Cf. Bodium Gesch. d. hellen. Dichtkunst T. II P, . 2, p. 15.

104) Hos dico, quia in Armena interpretatione, qua equidem utor, altera notatio excidit; Eusebianam tamen utramque judico.

primum Olymp. XXX, deinde iterum secundum alios Olymp. XLII collocant, unde luce clarius fit diversos illi fontes ante oculos fuisse, quumque nihilominus priorem temporis notationem et Suidae testimonium et alia argumenta prae altera commendare videantur [105], non solum Terpandrum hinc quoque aliquanto ante Olymp. XXX floruisse apparebit, sed etiam omnino intelligemus jam inter antiquos circa omnes horum temporum musicos et poëtas duo systemata chronologica exstitisse decem fere Olympiadibus inter se distantia, quorum et alii chronographi et imprimis Eusebius modo unum modo alterum modo utrumque sequentes maximas illas quibus etiamnunc laboramus turbas dederunt. Atque haud scio an omnis hujus confusionis origo in Homeri aetatis ambiguitate quaerenda sit, quo quum posteriorum quoque poëtarum vitae ita relatae esse videantur, ut quot annis Homerum sequerentur, ipsorum tempora notarent, prout illam epocham alii aliter constituerunt, haec quoque fluctuare necessarium erat; omnium autem maxime hoc in Lacedaemoniorum historiam cadit, quacum Homerus per Lycurgum multo arctius quam aliis conjunctus erat, utque nihil verisimilius inveniri arbitror ad illum Herodoti errorem explicandum, quo Lycurgum Labotae pro Charilao tutorem fecit, quam ut illum Homeri

---

105) Cf. Welcker. ad Alcman. fragm. p. 7 et Clinton T. I, p. 216. Suidas eum vel Olymp. XXVII vixisse ait, quodque huic opposuit Müller G. G. A. p. 906, Terpandro ad antiquiorem aetatem relato sponte concidet; solam enim Pityusarum insularum mentionem ad ejus aetatem definiendam sufficere eo minus credam, quo incertior explicatio loci Herod. IV. 125 est, unde ille Etrusk. T. I, p. 193 Hispanicum mare Graecis post Olymp. XXXV demum innotuisse collegit.

aequalem censuisse, hunc autem cum nonnullis ad Labotae tempora retulisse existimetur [106]), ita Sosibium, quem Homerum cum Lycurgo in ipsis Charilai principiis collocasse constat [107]), nihil mirum erit Terpandrum cum Carneis aliquanto posterius posuisse, quam nos facere consentaneum est, qui poëtam circiter centum quinquaginta annis ante primam Olympiadem vixisse statuimus. Sed haec utut sint, hoc saltem probabiliter effecisse mihi videor, ut Terpander proximis potius post primum bellum Messeniacum annis quam iis vixisse intelligatur, qui secundum bellum vel proxime antecesserunt vel in ipsum inciderunt, atque illuc unde profectus sum redeam, turbas, quas ille composuisse dicitur, jam tutius easdem cum illis judicare potero, quas ex primi belli vicissitudinibus ortas Polydorum et Theopompum exercuisse tandemque circa Olymp. XVIII per Tarentinam coloniam finem accepisse vidimus; Carneorum autem instaurationem, quae cum Terpandri memoria arctissime conjuncta est, eidem tempori eo fidentius tribuo, quo probabilius est Spartanos ejus dei cultum, quem proprie non ipsorum sed indigenarum inque primis Amyclaeorum fuisse docte Müllerus animadvertit [108]),

106) Cf. sup. disput. not. 29 et Cyrill. adv. Julian. p. 11 D.: *ἑκατοστῷ ἑξηκοστῷ καὶ πέμπτῳ ἔτει τῆς Ἰλίου ἁλώσεως Ὅμηρον καὶ Ἡσίοδόν φασι γενέσθαι, βασιλεύοντος Λακεδαιμονίων Λαβώτου,* quem annum prope eundem esse, quo etiam Eusebius n. 1001 nonnullos Homerum referre ait, recte Fischerus Zeittafeln p. 45 animadvertit; Herodotum autem Homerum Lycurgi aequalem censuisse ex ipsius verbis II, 53 non incommode colligi potest.

107) Clem. Alex. Stromatt. I, p. 327: *Σωσίβιος ὁ Λάκων ἐν χρόνων ἀναγραφῇ κατὰ τὸ ὄγδοον ἔτος τῆς Χαρίλλου τοῦ Πολυδέκτου βασιλείας Ὅμηρον φέρει.*

108) Muller. Orchom. p. 327; Dor. I, p. 354; cf. Welcker. in Allg. Schulzeit. 1830, p. 21 et in Heckeri medic. Annal. 1832 Maji p. 28.

non ita multo post Amyclas captas perioecorumque rationes ordinatas inter publicas ceremonias recepisse.

IV.

Neque tamen vel in iis incrementis, quae musica ars per Terpandrum acceperat, Spartanos substitisse, verum etiam longius processisse, neque quidquam a se alienum putasse, quo insigne illud educationis apud Graecos fundamentum salva morum gravitate promoveretur formamque ipsi illi proposito aptiorem acciperet, quum ceterorum quos modo post Terpandrum enumeravi poëtarum, tum imprimis Thaletae exemplum ostendit, quem quum Plutarchus una cum Xenodemo Cytherio, Xenocrito Locro, Polymnesto Colophonio, Sacada Argivo secundae constitutionis circa musicam apud Spartanos factae auctorem praedicet [109]), iterum declarat illos non in uno semper vestigio remansisse, sed identidem pro temporum progressibus disciplinae suae instrumenta novis inventis locupletasse [110]). Immo ne horum quidem omnium unam eandemque aetatem fuisse et Polymnesti exemplum prodit, quem juniorem Thaleta ipsi superius vidi-

109) Plut. de Musica c. 9: τῆς δευτέρας δὲ Θαλήτας τε ὁ Γορτύνιος καὶ Ξενόδαμος ὁ Κυθήριος καὶ Ξενόκριτος ὁ Λοκρὸς, καὶ Πολύμνηστος ὁ Κολοφώνιος καὶ Σακάδας ὁ Ἀργεῖος μάλιστα αἰτίαν ἔχουσιν ἡγεμόνες γενέσθαι· τούτων γὰρ εἰσηγησαμένων τὰ περὶ τὰς γυμνοπαιδίας τὰς ἐν Λακεδαίμονι λέγεται κατασταθῆναι καὶ τὰ περὶ τὰς ἀποδείξεις τὰς ἐν Ἀρκαδίᾳ τῶν τε ἐν Ἄργει τὰ ἐνδυμάτια καλούμενα.

110) Haud scio an huc referendus sit Athenaei locus XIV. 21: Λακεδαιμόνιοι δ' εἰ μὲν ἐμάνθανον τὴν μουσικὴν, οὐδὲν λέγουσιν· ὅτι δὲ κρίνειν δύνανται καλῶς τὴν τέχνην, ὁμολογεῖται παρ' αὐτῶν, καί φασι τρὶς ἤδη σεσωκέναι διαφθειρομένην αὐτήν: quem quum Müllerus Dor. T. II, p. 321 ita explicet, ut repressa novatorum conamina spectet, eodem jure ad novas καταστάσεις referes, quibus contorpescentem refecerint novasque et vires addiderint.

mus (cf. not. 95), et Xenocriti, de quo idem claris verbis Plutarchus tradidit [111]; postremo Sacadam viginti demum Olympiadibus post eam, quam superius Thaletae dedimus, floruisse certissimo Pythicarum victoriarum argumento constat [112]), qua tamen ipsa re tantum abest ut, quod nonnullis viris doctis accidisse vidi [113]), a majore illa quam Thaletae tribui aetate deterrear, ut nullo documento clarius ostendi posse arbitrer, quomodo Lacedaemonii in tantis musicae artis incrementis, quae in usum suum convertere nunquam desierunt, constantiam, qua insignes erat, ita servarint, ut vel quae integri saeculi intervallo distinguerentur, tanquam ab uno auctore profecta ad eandem speciem redirent. Quae autem omnibus his viris communia ipsam quam diximus alteram musicae constitutionem effecerunt, haud scio an uno vocabulo in eo quaeri possint, quidquid posterius Bacchici in Lacedaemoniorum musica inerat, quod etsi a prisca Do-

111) Plut. de Musica c. 10: *πρεσβύτερον δὲ τῇ ἡλικίᾳ φησὶν ὁ Γλαῦκος Θαλήταν Ξενοκρίτου γεγονέναι.*

112) Paus. X. 7. 3: *τῆς τεσσαρακοστῆς Ὀλυμπιάδος καὶ ὀγδόης . . ἔτει τρίτῳ ἆθλα ἔθεσαν οἱ Ἀμφικτύονες . . ἀνηγορεύθησαν δὲ νικῶντες . . Σακάδας δὲ Ἀργεῖος ἐπὶ τοῖς αὐλοῖς. ἀνείλετο δὲ Σακάδας οὗτος καὶ ἄλλας δύο τὰς ἐφεξῆς ταύτης Πυθιάδας*; cf. eundem VI. 14. 4 pluraque apud Boeckh. ad Pind. fragm. p. 655 et Schultz. app. ann. crit. rer. Graec. spec. I, p. 1.

113) Müller, Dor. T. II, p. 322: *Sakadas blühte und siegte in den Pythien Ol. 48. 3, und in dieselbe Zeit müssen nach Plutarch ungefähr die andern auch treffen, nur dass Thaletas älter als Polymnestos und Xenokritos aber doch jünger war als Terpandros und Archilochos, also etwa vor der vierzigsten Olympiade lebte*; cf. Hoeck. Kreta T. III, p. 341 et Ulricium T. II, p. 214; cautius, ut solet, Bernhardy T. I, p. 267: *hierin ist die Geschichte der sogenannten zweiten Musikepoche Sparta's zu suchen, welche von Tyrtäus kaum angedeutet, dann vielleicht in den dreissiger Olympiaden . . entwickelt und durch Sakadas den Argiver, den ersten Künstler der das Flötenspiel gesondert ausbildete, völlig bestätigt wurde.*

riensium indole alienum [114]) tamen propter tibiarum cantum arctissime cum Bacchicis ceremoniis conjunctum [115]) tantam musicae non solum delectationis et varietatis sed etiam efficaciae et elationis materiam attulit, ut negligi ab iis, qui artem ad animum excolendum multiplicesque vitae usus converterc vellent, haudquaquam posset; utque Clonam legimus Terpandri inventis citharoedicis ad tibicinium translatis hoc quoque certorum modorum legibus circumscripsisse [116]), sic vicissim Thaletas nova numerorum genera, quibus Olympi industria hanc artem excoluisset [117]), ad fidicinium retulit [118]), cumque secuti Xenocritus quidem dithyrambica argumenta tractavit [119]), Polymnestus autem ipsos auloedicos modos novis artificiis auxisse fertur [120]), donec per Sacadae virtutem tibiis vel ad certamina Apolli-

114) Müller. Dor. T. I, p. 162 et 403.

115) Cf. Aristot. Analyt. poster. I. 13. 11: *οἷον τὸ τοῦ Ἀναχάρσιος ὅτι ἐν Σκύθαις οὐκ εἰσὶν αὐληταί, οὐδὲ γὰρ ἄμπελοι*, cum Diog. L. I. 104, pluraque apud Ulricium T. II, p. 52 et 156 sqq.

116) Plutarch. de Musica c. 8.

117) Cf. Ulricium T. II, p. 160, Bodium T. II, P. 1, p. 168, inque primis Plut. de Musica c. 11: *φαίνεται δ' Ὄλυμπος αὐξήσας μουσικὴν τῷ ἀγένητόν τι καὶ ἀγνοούμενον ὑπὸ τῶν ἔμπροσθεν εἰσαγαγεῖν καὶ ἀρχηγὸς γενέσθαι τῆς Ἑλληνικῆς καὶ καλῆς μουσικῆς*: adde Perizon. ad Aelian. V. Hist. XIII. 20.

118) Plutarch. de Musica c. 10: *ἐκ γὰρ τῆς Ὀλύμπου αὐλήσεως Θαλήταν φασὶν ἐξειργάσθαι ταῦτα καὶ δόξαι ποιητὴν ἀγαθὸν γεγονέναι*: cf. Boeckh. de metris Pind. p. 143; Hoeck. Kreta T. III, p. 379; Ulrici T. II, p. 221; Bode T. II, P. 1, p. 46.

119) Plut. ibidem: *ἡρωικῶν γὰρ ὑποθέσεων πράγματα ἐχουσῶν ποιητὴν γεγονέναι φασὶν αὐτόν, διὸ καί τινας διθυράμβους καλεῖν αὐτοῦ τὰς ὑποθέσεις*: quos non erat cur Schneidewinus ad Ibyci fragm. p. 57 *diversa genera poësis lyricae confudisse* exprobraret; cf. Odofr. Mülleri epist. p. XI.

120) Plutarch. ibidem: *καὶ Πολύμνηστος δ' αὐλῳδικοὺς νόμους ἐποίησεν· ἐν δὲ τῷ ὀρθίῳ τῇ μελοποιΐᾳ κέχρηται*: cf. c. 12: *Πολύμνηστος δὲ μετὰ τὸν Τερπάνδρειον τρόπον καινῷ* (vulg. *καὶ ᾧ*)

nis Delphica admissis nihil obstaret quo minus etiam Spartae ad omnes dies festos omniaque ludorum genera adhiberentur [121]. Quanquam in bello et conviviis etiam prius tibicines a Spartanis adhibitos esse Tyrtaei carmina produnt, quorum et ea quae elegiaco metro conscripta sunt multis ad tibiam potius quam ad citharam cantata esse videntur [122]) et anapaesticum certe embateriorum genus auloedicos modos habuisse constat [123]); quod etsi errant qui ab ipso Lycurgo institutum credunt, ut Lacedaemonii Trojanorum Lydorumve instar [124]) ingressu per tibiarum cantum vel incitato vel temperato proelia inirent [125]), attamen hoc quoque tam antiquo tempore receperunt, ut novum inventum ad incrementa potius quam

---

ἐχρήσατο, καὶ αὐτὸς μέντοι ἐχόμενος τοῦ καλοῦ τύπου, ὁμοίως δὲ καὶ Θαλήτας καὶ Σακάδας· καὶ γὰρ οὗτοι κατὰ τὰς ῥυθμοποιίας καινοί, οὐκ ἐκβαίνοντες μέντοι τοῦ καλοῦ τύπου.

121) V. sup. not. 112 et Pausan. II. 22. 9: *καὶ τὸ ἔχθος τὸ Ἀπόλλωνι διαμένον ἐς τοὺς αὐλητὰς ἔτι ἀπὸ Μαρσύου καὶ τῆς ἁμίλλης τοῦ Σιληνοῦ παυθῆναι διὰ τοῦτον δοκεῖ τὸν Σακάδαν*; omnino autem Plut. de Musica c. 14: *οὐ μόνη δὲ κιθάρα Ἀπόλλωνος, ἀλλὰ καὶ αὐλητικῆς καὶ κιθαριστικῆς εὑρετὴς ὁ θεός· δῆλον δ' ἐκ τῶν χορῶν καὶ τῶν θυσιῶν, ἃς προσῆγον μετ' αὐλῶν τῷ θεῷ*: cf. Bodium T. II, P. 1, p. 314.

122) Cf. Böttiger. kl. Schriften T. 1, p. 33 sqq.; Ulricium T. II, p. 186; Bodium T. II, P. 1, p. 172; Bach. hist. crit. poësis Graec. elegiacae, Fuld. 1840. 4, p. 25. Cautius loquitur Caesar l. c. p 49 sqq., nec certis testimoniis res confici videtur; multam tamen probabilitatem habere negari nequit.

123) Cf. Manso Spart. T 1, P. 2, p. 170; Boeckh. de metris Pind. p. 180; Müller. Dor. T. II, p. 333 sqq; Bodium T. II, P. 1, p. 299.

124) De Lydis conf. Herod. I. 17 et Athen. XII 12; de Trojanis Iliad. X. 13 c. Schol. Venet. et Böttigeri kl. Schriften T. I, p. 29 quosque praeterea laudat Bodius de Orpheo p. 175.

125) Xenoph Rep. Lacedd. XIII. 8: *μάλα δὲ καὶ τάδε ὠφέλιμα, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἐμηχανήσατο Λυκοῦργος εἰς τὸν ἐν ὅπλοις ἀγῶνα· ὅταν γὰρ ὁρώντων ἤδη τῶν πολεμίων χίμαιρα σφαγιάζηται, αὐλεῖν τε πάντας τοὺς παρόντας αὐλητὰς νόμος κ. τ. λ.*: cf. Plut. V. Lycurg. c. 22 et Po-

corruptelam pertineret [126]), neque quidquam in ea re offensionis continebitur; modo ne Thaletam vel adeo Terpandrum Tyrtaeo juniorem fecerimus, quo facto utique mirum foret tibiarum usum prius inter Spartanos invaluisse, quam citharae cantum a majoribus acceptum ad illud varietatis fastigium evexissent, cui jam ne tibia quidem nimis multiplex et abundans videri posset [127]). Omnium vero maximum in hoc genere momentum est Gymnopaediarum quae dicebantur [128]), quibus quum jam Müllerus aliquid Bacchici admixtum fuisse recte docuerit [129]), opportune accidit, ut in iisdem ludis eorum potissimum carmina modosque cantatos esse audiamus, a qui-

---

lyb. IV. 20. 6, ut mittam Polyaen. I. 10, qui vel primis regibus Eurystheni et Procli hunc morem tribuit, quosque laudavi in Lehrbuch cit. §. 30, not 1, quorum tamen ipsorum nonnulli etiam antiquiorem citharae usum memorant, mirorque Bodium T. II, P. 1, p. 24 scripsisse: *der selbst schon zu Lykurgos Zeit von den kampflustigen Spartanern zur Flöte gesungen wurde*, quum ipse rectius P. 2, p. 16 Tyrtaeo hoc inventum tribuat; cf. et Müller. T. II, p. 334: *wovon indess die Flöte eine Neuerung scheint.*

126) Memorabile est, quod tibicinum Spartae ex antiquo more certae familiae fuisse dicuntur, quae artem hereditario ritu inter se traderent; cf. Herod. VI. 60.

127) Hac enim ipsum severis hominibus reprehendendum in tibiis videbatur; cf. Plat. Republ. III, p. 399 D: *τί δέ; αὐλοποιοὺς ἢ αὐλητὰς παραδέξει εἰς τὴν πόλιν; ἢ οὐ τοῦτο πολυχορδότατον καὶ αὐτὰ τὰ παναρμόνια αὐλοῦ τυγχάνει ὄντα μιμήματα;* quem locum recte Schneiderus a Stallbaumii dubitationibus tuetur comparato Phileb. p. 56 A et Pollux. onom. IV. 67. Ceterum mire Ulricius T. II, p. 225 naturalem rerum ordinem in his convertit: *nachdem daher Thaletas mit Hülfe der Flöte und Flötenmusik die erste Bahn gebrochen zu einer freieren beweglicheren lyrischeren Bildung der spartanisch-dorischen Musik, war es Terpander, der durch seine Neuerungen darnach auch die Kitharodie insbesondere vervollkommnete* etc.

128) Quanta Gymnopaediarum existimatio fuerit Spartae testatur Pausan. III 11. 7: *ἑορτὴ δὲ εἴπερ ἄλλη καὶ αἱ γυμνοπαιδίαι διὰ σπουδῆς Λακεδαιμονίοις εἰσί.* Omnino cf. Creuzeri comm. Herodd. T. I, p. 230 et Ruhnk. ad Tim. Lex. Platon. p. 73.

129) Müller. Dor. T. II, p. 338; cf. Athen. XIV. 28 sqq.

bus secundam musicae constitutionem Plutarchus repetit (cf. not. 111), neque Alcmanis ab his mentio aliena est [130]), qui ipse ut fertur Lydus genere patriam modorum varietatem [131]) tanta cum dexteritate ad Lacedaemoniorum mores transtulit, ut vel puellarum choris carmina pepigisse dicatur [132]); principem tamen locum inter eos, quorum modos in Gymnopaediis cantatos saltatosque esse legimus, Thaletas tenet, neque eo usque procedere dubito, ut simili vinculo, quo Terpandrum primamque musicae constitutionem ab illo conditam cum Carneis cohaerere vidimus, secundam Thaletae cum Gymnopaediis conjungi statuam, praesertim quum temporum quoque ea ratio sit, ut Thaletae aetas, qualem superius ex reliquorum poëtarum comparatione elicuimus, ab ea, quam clara chronographorum testimonia Gymnopaediis tribuunt, quam maxime confirmetur [133]). Nam quod ne horum quidem ludorum institutionem desunt qui ab ipso Lycurgo repetant [134]), sola vocabuli ambigaitate nititur, quod

130) Athen. XV. 22, p. 678 C: *χοροὶ δ' εἰσὶν τὸ μὲν πρόσω παίδων, τὸ δ' ἐξ ἀρίστου ἀνδρῶν γυμνῶν ὀρχουμένων καὶ ᾀδόντων Θαλήτου καὶ Ἀλκμᾶνος ᾄσματα καὶ τοὺς Διονυσοδότου τοῦ Λάκωνος παιᾶνας.*

131) *Αὐλῳδὸς γὰρ ἦν*, inquit Aelian. Var. Hist. XII. 50, nisi malueris cum Perizonio *Λυδὸς γὰρ ἦν*: quanquam hoc ipsum sententiae nostrae convenit; cf. omnino Müller. Dor. T. II, p. 378; Bernhardyum T. I, p. 273; Ulricium T. II, p. 221 et 388; Bodium T. II, P. 2, p. 17 sqq. et de ejus *καινοτομίᾳ* Plut. de Musica c. 12.

132) *Παρθένεια*, Plut. de Musica c. 17; cf. Welcker. ad Alcman. fragm. p. 10 et Boeckh ad Pindar. T. III, p. 539.

133) Euseb. Chron. ad Olymp. XXVIII. 4: *puerorum nudum certamen primum Lacedaemone peractum est;* cf. Hieron. ad Olymp. XXVII. 3: *nudipedalia primum acta in Lacedaemone*, et Syncell. p. 213 A: *γυμνὴ παιδεία πρῶτον ἐν Λακεδαίμονι ἤχθη.*

134) Manso Spart. T. I, P. 2, p. 11: *Eusebius setzt ihn in Ol. 27. 3; aber dann hätte sich wohl der Dichter Alkman, nicht aber der Kretenser Thales, der Zeitgenosse Lykurg's*

exigua formarum mutatione inter antiquissimam illam nudorum puerorum exercitationem, quam Lycurgum vel instituisse vel revocasse facile credimus [135]), et certorum dierum solemnia certamina fluctuat, quae num nomine antiqua sint, non decernam, toto certe genere novis illis Thaleteae sectae inventis respondent [136]), neu quis chronographorum balbutie ad eam opinionem inducatur, ut Olymp. XXVIII gymnasia potius invenisse, hoc est inter currendum et luctandum corpora nudare coepisse Lacedaemonios arbitretur, hoc institutum, quamvis et ipsum praeter antiquum Graeciae morem [137]) ab illis inventum [138]), ad priorem aetatem referendum esse Acanthi

---

welchem lezteren übrigens Suidas die Anordnung der Gymnopoedie wirklich zuschreibt, um die Feyer dieses Festes verdient machen können! Bodius quoque T. II, P. 1, p. 59 propter Plutarch. V. Lycurg. c. 15 saltationes certe gymnicas jam a Lycurgo institutas putat, quasi non sufficiat tantum coelibum contemtum fuisse, ut etiam postea novis ludis institutis horum communione arcerentur.

135) Suidas p. 2358: *καὶ τὴν γυμνοπαιδείαν, ᾗ τοὺς ἐφήβους ἠνάγκαζε διὰ παντὸς μὴ ἔχοντας χλανίδα γυμνασίοις προςκεῖσθαι*: cf. eundem p. 854: *γυμνοπαιδεία ἡ παλαίστρα ᾗ τοὺς ἐφήβους Λυκοῦργος ἠνάγκαζε*, nec non Plat. legg. I, p. 633 C: *ἔτι δὲ κἀν ταῖς γυμνοπαιδείαις δειναὶ καρτερήσεις παρ' ἡμῖν γίγνονται τῇ τοῦ πνίγους ῥώμῃ διαμαχομένων*, ubi recte Müllerus T. II, p. 313 non sollemnes ludos, sed omnino nudorum exercitationes intelligendas esse vidit, quapropter etiam antiquissimarum editionum lectionem revocavi pro vulg. *γυμνοπαιδιαῖς*, quae nihili forma est, cf. Steph. Thes. Paris. T. II, p. 814; festum autem *γυμνοπαιδία* dicitur.

136) Plutarch. de Musica c. 9: *ἦσαν δὲ οἱ περὶ Θαλήταν καὶ Ξενόδαμον καὶ Ξενόκριτον ποιηταὶ παιάνων . . ἄλλοι δὲ Ξενόδαμον ὑπορχημάτων ποιητὴν γεγονέναι φασί*: cf. Schol. Pind. Pyth. II, 127: *ἔνιοι μὲν οὖν φασι πρῶτον Κουρῆτας τὴν ἔνοπλον ὄρχησιν ὀρχήσασθαι, αὖθις δὲ Πύῤῥιχον Κρῆτα συντάξασθαι, Θαλήταν δὲ πρῶτον τὰ εἰς αὐτὴν ὑπορχήματα· Σωσίβιος δέ τα ὑπορχηματικὰ μέλη πάντα Κρητικὰ λέγεσθαι*, et de illorum generum usu in Gymnopaediis Hoeck. Kreta T. III, p. 380 et Bodium T. II, P. 1, p. 46 et 58.

137) Thucyd. I. 6: *ἐγυμνώθησαν δὲ πρῶτοι καὶ ἐς τὸ φανερὸν ἀποδύντες λιπὰ μετὰ τοῦ γυμνάζεσθαι ἠλείψαντο*: cf. Plat. Republ. V, p. 452 C.

138) Athen. I. 25, p. 14 E: *Ἵππασος δὲ Λακεδαιμονίοις ταύτην τε (τὴν διὰ τῆς σφαίρας ὄρχησιν) καὶ τὰ γυμνάσια πρώτοις ἀνατίθησι.*

exemplum suadet, quem Olymp. XV in ipso totius Graeciae conventu Olympiaco subligaculum abjicere ausum esse legimus [139]); quod autem multi etiam posterius quam Thaletas atque Alcman vixerunt adeoque post Sacadae tempora Olymp. LVIII Gymnopaedias in Thyreaticae victoriae memoriam, quae Othryadae facinore nobilitata est [140]), institutas volunt [141]), veteres quidem testes nihil aliud narrant, nisi diebus illis carmina in eorum honorem, qui apud Thyream cecidissent, cantata [142]) corollasque quas chororum praefecti gestarent Thyreaticas appellatas esse [143]), unde tantum abest ut illorum ludorum origo colligi possit, ut eos pari jure aliquis post Thermopylense demum proelium fieri coepisse statuat, quia hujus quoque laudes puerorum canticis insertae esse videntur [144]). Neque profecto longius circumspiciendum est ad investigandam occasionem, quam Gymnopaediis originem dedisse suspicemur, siquidem ipsum Thaletam legimus,

---

139) Dionys. Halic. VII. 72: *ὁ γὰρ πρῶτος ἐπιχειρήσας ἀποδυθῆναι τὸ σῶμα καὶ γυμνὸς Ὀλυμπίασι δραμὼν ἐπὶ τῆς πεντεκαιδεκάτης Ὀλυμπιάδος Ἄκανθος ὁ Λακεδαιμόνιος ἦν· τὰ δὲ πρὸ τούτων δι' αἰσχύνης εἶχον πάντες Ἕλληνες ὅλα γυμνὰ φαίνειν ἐν τοῖς ἀγωνίαις τὰ σώματα.*

140) Cf. Herod. I. 82 et Hemsterh. ad Lucian. Charon. T. III, p. 412 ed. Bipont.

141) Cf. Pastoret. hist. de la législ. T. V, p. 392; Müller. Dor. T. II, p. 322; Bodium T. II, P. 1, p. 57; Ulricium T. II, p. 214 etc.

142) Phrynichus Bekk. p. 32: *ἐν Λακεδαίμονι κατὰ τὴν ἀγορὰν παῖδες γυμνοὶ παιᾶνας ᾖδον εἰς τιμὴν τῶν περὶ Θυρέας*: cf. Suidas p. 851: *καὶ γυμνοπαιδία χοροὶ ἐκ παίδων ἐν Σπάρτῃ τῆς Λακωνικῆς εἰς θεοὺς ὕμνους ᾄδοντες εἰς τιμὴν τῶν ἐν Θυρέαις ἀποθανόντων Σπαρτιατῶν.*

143) Athen. XV. 22: *Θυρεατικοὶ καλοῦνται στέφανοί τινες παρὰ Λακεδαιμονίοις, ὥς φησι Σωσίβιος ἐν τοῖς περὶ Θυσιῶν . . φέρειν δ' αὐτοὺς ὑπόμνημα τῆς ἐν Θυρέᾳ γενομένης νίκης τοὺς προστάτας τῶν ἀγομένων χορῶν ἐν τῇ ἑορτῇ ταύτῃ ὅτε καὶ τὰς γυμνοπαιδίας ἐπιτελοῦσι.*

144) Etymol. M. p. 243: *γυμνοπαιδία ἑορτὴ Λακεδαιμονίων, ἐν ᾗ παῖδες ᾖδον τῷ Ἀπόλλωνι παιᾶνας γυμνοὶ εἰς τοὺς περὶ Πύλαιαν πεσόντας*, ubi temere Manso, ipso Müllero judice, eumque secutus Bodius *Θυρέαν* substituerunt.

non quidem seditionis, quod nonnulli ex Terpandri similitudine in illum transtulisse videntur [145]), at pestilentiae sanandae causa Spartam arcessitum esse [146]), quales casus saepius apud antiquos novarum ceremoniarum recipiendarum ansam dedisse constat [147]); accedit ipsa paeanum natura, quos aeque verisimile est in pestilentiae atque in victoriae memoriam conditos esse [148]), utque vel iis satisfaciam, qui internarum rerum conjunctionem cum historia externisque vicissitudinibus aegre eripi sibi patiuntur, videant, ne eodem modo, quo Olymp. LXXVIII terrae motus, quo Spartani afflicti fuerant, Messeniorum animos ad rebellandum excitavit [149]), prior illa eorundem defectio alterumque quod cum his bellum gestum est, cujus initium secundum ea, quae superius de Tyrtaeo disputavimus, circa Olymp. XXIX constituendum erit, ex eadem pestilentia originem duxerit, propter quam Thaletas Spartam vocatus est. Thyreaticae

---

145) Plat. philos. c. princ. c. 4: *ἢ τὴν Λακεδαιμονίων στάσιν παύειν ἐπᾴδων καὶ παραμυθούμενος, ὡς Θαλῆς*: cf. Philodem. de Musica in Voll. Hercul. T. I, col. 19: *οὕτω πείθειν καὶ Θαλήτου καὶ Τερπάνδρου πεπαυκέναι τῶν Λακώνων?*

146) Plut. de Musica c. 42: *καὶ Θαλήταν τὸν Κρῆτα ὅν φασι κατά τι πυθόχρηστον Λακεδαιμονίοις παραγενόμενον διὰ μουσικῆς ἰάσασθαι ἀπαλλάξαι τε τοῦ κατασχόντος λοιμοῦ τὴν Σπάρτην*: cf. Pausan. I. 14. 3: *Θαλῆς ὁ Λακεδαιμονίοις τὴν νόσον παύσας*, et Martian. Capell. IX, §.926: *Thaletem Cretensem compertum est citharae suavitate morbos et pestilentiam fugavisse.*

147) Cf. modo Liv. VII. 2.

148) Müller. Dor. T. I, p. 298: *nun wissen wir dass der Paean ursprünglich bei Nachlass einer Seuche, so wie bei glücklichem Ende eines Kampfs, überhaupt wenn irgend ein Unheil abgewendet war, gleichsam als Reinigung von der Befleckung damit gesungen ward*: cf. Bodium T. II, P. 1, p. 62 et 73, inque primis de pestilentia, unde ipsius Apollinis cognomen *Παιάν* plerique derivant, Soph. Oed. Tyr. v. 4 et 186 pluraque apud Hemsterh. in Lennep. Etymol. gr. p. 721 et Welcker. in Heckeri Annal. f. Heilkunde 1832, Maji p. 30 sqq.

149) Cf. Lehrbuch cit. §. 37, not. 8.

autem victoriae causâ ne illud quidem Lacedaemonios instituisse constat, quod Herodotus narrat, quum Argivi propter luctum capillos deposuerint, illos ab hoc demum tempore comam alere coepisse [150]); alios certe eundem morem a Bacchiadarum exulum adventu repetiisse ex Plutarcho discimus [151]), isque ipse cum plurimis Lycurgeum censet [152]); quod si vel patris historiae fides in dubitationem vocatur de re quam nemo facile nisi aliqua fama audita ad illud proelium retulisset, non est cur tacente illo ambigua grammaticorum testimonia sequamur, sed servata vetusta temporum notatione in ea necessitudine acquiescimus, quam et Gymnopaediis cum Thaleta et universae illi secundae musicae Spartanae constitutioni cum belli secundi Messeniaci primordiis intercedere non prorsus improbabiliter significasse nobis videmur.

V.

Post bellum Messeniacum secundum usque ad bella Persica prope ducentis annis eandem fere mansisse reipublicae Laconicae formam jam olim monui, ubi ne agrorum quidem novam distri-

---

150) Herod. I. 82: *Λακεδαιμόνιοι δὲ ἐναντίον τούτων ἔθεντο νόμον, οὐ γὰρ κομῶντες πρὸ τούτου ἀπὸ τούτου κομᾶν.*

151) Plut. V. Lysand. c. 1: *οὐ γάρ, ὡς ἔνιοί φασιν, Ἀργείων μετὰ τὴν μεγάλην ἧτταν ἐπὶ πένθει καρέντων, οἱ Σπαρτιᾶται πρὸς τὸ ἀντίπαλον αὐτοὶ τὰς κόμας ἀγαλλόμενοι τοῖς πεπραγμένοις ἀνῆκαν· οὐδὲ Βακχιαδῶν τῶν ἐκ Κορίνθου φυγόντων εἰς Λακεδαίμονα ταπεινῶν καὶ ἀμόρφων διὰ τὸ κείρασθαι τὰς κεφαλὰς φανέντων εἰς ζῆλον αὐτοὶ τοῦ κομᾶν ἦλθον· ἀλλὰ καὶ τοῦτο Λυκούργειόν ἐστι.*

152) Cf. et Aristot. Rhetor. I. 9. 26: *ἐν Λακεδαίμονι κομᾶν καλόν· ἐλευθερίας γὰρ σημεῖον*: inque primis Strab. VI, p. 278, unde jam Partheniarum tempore Spartanos coma insignes fuisse apparet: *γνώριμοι δ' ἦσαν ἀπὸ τῆς κόμης οἱ τοῦ δήμου.*

butionem post illam victoriam factam videri dixi [153]), neque illud huc convertere audeo, quod Chilo, qui circa Olymp. LV floruit, a nonnullis primus ephoros regibus adjunxisse tradebatur [154]); quem quum Soloni amicitiam renunciasse fama fuerit, quia mutabiles leges esse permisisset [155]), profecto non consentaneum est ipsum quidquam praeter antiquam reipublicae patriae formam instituisse, verique simillimum videtur quod jam Menagius suspicatus est veterem scriptorem, quum Chilonem principem locum inter collegas in ephoratu obtinuisse legisset, haec in eam sententiam detorsisse, ut illum omnium primum ephorum factum esse totiusque instituti auctorem fuisse arbitraretur [156]); ejusdem tamen Chilonis exemplo sapientiae studia, qualia tum maxime inter Graecos efflorescere coeperant, ne Lacedaemonem quidem praeteriisse tam clare apparet, ut hoc quoque argumento summam in republica constantiam, donec ingenuus vigor maneret, cum insigni ingeniorum incremento impune conjungi

---

153) De caussis turb. agror. aequal. p. 50.

154) Diog. L. I. 68: *γέγονε δὲ ἔφορος κατὰ τὴν πεντηκοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα· Παμφίλη δέ φησι κατὰ τὴν ἕκτην, καὶ πρῶτον ἔφορον γενέσθαι ἐπὶ Εὐθυδήμου, ὥς φησι Σωσικράτης· καὶ πρῶτος εἰσηγήσατο ἐφόρους τοῖς βασιλεῦσι παραζευγνύναι, Σάτυρος δὲ Λυκοῦργον.*

155) Plut. Sept. Sap. Conv. c. 7: *οἷα καὶ πρὸς ἡμᾶς ἀπηγγέλη περὶ Χίλωνος, ὡς ἄρα διαλύσαιτο τὴν πρὸς Σόλωνα φιλίαν καὶ ξενίαν, ὅτι τοὺς νόμους ὁ Σόλων ἔφη μετακινητοὺς εἶναι:* quod etsi Plutarchus pro suo consilio impugnat, hac ipsa tamen re apparet non ab illo inventam sed vetere fama acceptum esse.

156) Cf. Manso Spart. T. III, P. 2, p. 332 et Lewis. in Philol. Mus. Cantabr. T. II, p. 52. Ad ephoratum Chilonis etiam illud spectare videtur, quod Gell. Noct. Att. I. 3 et Diog. L. I. 71 de judicio ab ipso exercito narrat, quanquam illud quod *cum duobus aliis de causa capitali* cognovisse dicitur, cum Aristot. Politic. III. 1. 7 non omnino convenit.

potuisse intelligamus [157]. Ipse nimirum Chilo in septem illorum numero habetur [158], quos etsi philosophorum nomine, quales posterior aetas vidit in ipsas rerum causas mundique principia inquirentes, appellare non possumus, tamen primos omnium constat id egisse, ut eorum, quae vulgari hominum more caece et sine conscientia fierent, rationem aliquam redderent, quaeque antiquo ritu in factis tantum cernerentur, jam etiam verbis enunciarent breviumque sententiarum acumine comprehenderent [159]; id vero tantum abfuit, ut a Spartanorum ingeniis quamvis moris majorum et consuetudinis tenacissimis abhorreret, ut hac ipsa re Anacharsis Scytha Lacedaemonios omnibus Graecis praetulisse traderetur, quod soli prudenter et sobrie rationes ederent et acciperent [160], neque ipsis

---

157) Cf. Müller. Dor. T. II, p. 390 - 396 et qui nuper data opera hoc argumentum tractavit Henr. Wiskemannum de Lacedaemoniorum philosophia et philosophis, Hersfeld. 1840. 4.

158) *Ἀνὴρ παρ' ἡμῖν σοφώτατος γενόμενος*, Her. VII. 235; cf. Wiskem. p. 13 sqq. et Diodor. Sic. exc. Vat. p. 17 Maji: *ὅτι Χίλων ἀφικόμενος εἰς Δελφοὺς καὶ καθάπερ ἀπαρχὰς ποιούμενος τῷ θεῷ τῆς ἰδίας συνέσεως ἐπέγραψεν ἐπί τινα κίονα τρία ταῦτα· γνῶθι σεαυτόν, καὶ μηδὲν ἄγαν, καὶ τρίτον ἐγγύα παρὰ δ' ἄτα· τούτων ἕκαστον βραχὺ ὑπάρχον καὶ Λακωνικὸν μεγάλην ἔχει τὴν ἀναθεώρησιν κ. τ. λ.*

159) Cf. Dicaearch. apud Diog. L. I. 40, Plut. V. Solon. c. 3, V. Themist. c. 2, pluraque apud Brandis. Gesch. d. griech. röm. Philos. T. I, p. 96 sqq.

160) Herod. IV. 77: *Ἕλληνας πάντας ἀσχόλους εἶναι εἰς πᾶσαν σοφίην πλὴν Λακεδαιμονίων· τούτοισι δὲ εἶναι μούνοισι σωφρόνως δοῦναί τε καὶ δέξασθαι λόγον*: quem tamen perperam Wiskemannus p. 4 ita intellexit, ut reliqui Graeci negotiis districti operam *τῇ σοφίῃ* dare non potuerint, quo facto non appareret cur *πᾶσαν σοφίην* scriptor dixisset; sensus est: Graecos omnes praeter Lacedaemonios tantum operae in singula *σοφίας* hoc est artificiorum genera conferre, ut ei quod summum sit in sapientia, *τῷ λόγον δοῦναι*, vacare nequeant. Utrumque significare *ἀσχολίαν εἴς* vel *περί τι*, et negotium quo quis occupetur, et unde per alias occupationes avocetur, comparatis locis Platonicis Phaed. p. 65 et Epist. IX, p. 357 apparebit.

illis sententiis, quibus septem sapientes inclaruerunt, quidquam similius inveniri potest quam acuta illa orationis brevitas, cui omnis Lacedaemoniorum gens a pueris inde assuefacta non minus verae gloriae quam rebus bello gestis debuit [161]). Atque illuc quidem quamvis Platone duce progredi nolo, quod nonnullis nuper placere vidi, ut ipsos septem sapientes Lacedaemoniorum discipulos et imitatores dicam, eosque illinc demum quidquid in hoc genere praestiterint in reliquam Graeciam transtulisse statuam [162]), quippe quod neque ex ipsa rerum memoria repeti possit, et universo culturae Graecae decursui repugnet, qui longe alias easque multo graviores latiusque patentes hujus sectae causas suppeditat, unde tanta eodem tempore diversissimis in locis orta sapientum progenies animorumque ad rectam vitae humanae existimationem conversio explicetur [163]); hoc tamen facile concedo, eodem pacto, quo in musica arte factum est, et antequam nova illa sapientia per universam Graeciam invalesceret, nullam gentem propius ad illam accessisse, et postquam reperta fuerit, nullam eam aut majori studio amplexam esse aut diutius retinuisse quam Lacedaemonios, quibus eandem ob causam illud datum est, ut quum apud alios singuli tantum ei operam navarent, hi ad unum omnes quasi publice philosophari viderentur [164]). Chilonis autem quam praecipuae in his

161) Cf. Lehrbuch cit. §. 26, n. 13.

162) Protag. p. 343 A: οὗτοι πάντες ζηλωταὶ καὶ ἐρασταὶ καὶ μαθηταὶ ἦσαν τῆς Λακεδαιμονίων παιδείας, καὶ καταμάθοι ἄν τις αὐτῶν τὴν σοφίαν τοιαύτην οὖσαν, ῥήματα βραχέα ἀξιομνημόνευτα ἑκάστῳ εἰρημένα.

163) Wachsmuth. hell. Alterth. T. II, P. 2, p. 459 sqq.

164) Plut. Lycurg. c. 31: ἐπιδείξας ὅλην τὴν πόλιν φιλοσοφοῦσαν εἰκότως ὑπερῆρε τῇ δόξῃ

partes fuerint, vel inde apparet, quod ipsa illa concinna sermonis brevitas, quae Lacedaemoniis cum septem sapientibus communis fuit, Chiloneum genus appellatum esse fertur [165]); difficilior causa est Mysonis, quem quamvis multi Lacedaemoniis accenseant, tamen nec ipse Plato, qui eum pro Periandro in septem sapientum numerum recepit [166]), ut recte Müllerus monuit [167]), Laconem habuisse videtur, nec Chenem natale ipsius oppidum majori auctoritate Laconicae quam Maliacae regioni tribuemus [168]); utque vel maxime verum viderint, qui hunc Eteum potius hoc est Laconem ex Etea oppido quam Oetaeum esse voluerunt [169]), Aristodamum certe, quem

---

τοῖς πώποτε πολιτευσαμένοις ἐν τοῖς Ἕλλησι: cf. Plut. l. c. p. 342 E: τοῦτο οὖν αὐτὸ καὶ τῶν νῦν εἰσὶν οἳ κατανενοήκασι καὶ τῶν πάλαι, ὅτι τὸ λακωνίζειν πολὺ μᾶλλόν ἐστι φιλοσοφεῖν ἢ φιλογυμναστεῖν.

165) Diog. L. I. 72: βραχυλόγος τε ἦν, ὅθεν καὶ Ἀρισταγόρας ὁ Μιλήσιος τοῦτον τὸν τρόπον Χιλώνειον καλεῖ.

166) Cf. Clem. Alex. Stromatt. I, p. 299: Πλάτων δὲ ἀντὶ Περιάνδρου ὡς ἀναξίου σοφίας διὰ τὸ τετυραννηκέναι ἀντικατατάττει Μύσωνα τὸν Χηνέα, pluraque apud C. Wagner. de Periandro Corinth. tyranno septem sapientibus adnumerato, Darmst. 1828. 4.

167) Müller. Dor. T. II, p. 29. Haec nempe Platonis verba sunt Prot. p. 343 A: καὶ Μύσων ὁ Χηνεὺς καὶ ἕβδομος ἐν τούτοις ἐλέγετο Λακεδαιμόνιος Χίλων, ubi ita potius dicendum erat: καὶ Λακεδαιμόνιοι δύο, Μύσων τε ὁ Χηνεὺς καὶ Χίλων Σπαρτιάτης.

168) Laconicae unus tribuit Stephanus Byzantius s. v. Χήν: Maliacae Pausanias X. 24. 1 et Diodorus l. c. p. 16: ὅστις ἦν Μαλιεὺς καὶ ᾤκει τὴν Οἴτην εἰς κώμην Χηνὰς καλουμένην: inter utrumque haeret Diog. L. I. 106: τὸ γένος Χηνεὺς ἀπὸ κώμης τινὸς Οἰταικῆς ἢ Λακωνικῆς, neque illuc confugerim cum Kriegkio de Maliensibus (Franc. ad M. 1833. 8) p. 31, ut duos vicos fuisse statuam, alterum Laconicam Chenem, alterum Maliacae Chenes appellatum; nam si quis semel Laconem nihil fuisse persuaserat, eam ipsam ob causam patriam ejus illuc conferre debebat.

169) Eteam Laconicae pagum fuisse illud quoque persuadet, quod ejusdem nominis oppidum in Creta exstabat, unde etiam fuit qui Mysonem Cretensem diceret, cf. Diog. L. 107 et Hoeck. Kreta T. II, p. 442; at si Ἠτεῖον non Οἰταῖον recte legebatur in oraculo illo, unde tota quaestio jam inter antiquos pependisse videtur, non apparet quomodo idem et Chene et Etea oriundus esse potuerit, nisi cum Sosicrate paterno genere Eteum

et ipsum sapientibus annumeratum[170]) pro Spartano venditant[171]), eo tutius cum Pindaro Argivum habebimus[172]), quo clarius et fons erroris in Alcaei carmire patet[173]), et ipsa quae de illo traduntur Spartanis moribus repugnare potius quam consentanea esse videntur[174]); verum etiam si huic locum tantum in urbe Spartani dederunt simili modo quo etiam Theognis se hospitaliter exceptum esse ab illis praedicat[175]), satis pro nostro instituto probatum est Lacedaemonios ne illo quidem tempore, quo reliquae Graeciae civitates turbis et seditionibus agitatae a veteris disciplinae rigore et constantia desciscere coeperant, aut sapientiae famam extimuisse aut peregrinos homines, qui bonis artibus excellerent, commeatu arcuisse. Neque

---

materno Chenaeum dicere libeat; sin Maliacae oppidum *Χὴν* vel *Χηναὶ* erat, simul oppido *Χηνεύς*, regionem *Οἰταῖος* appellari poterat, eoque etiam oraculi verba conducunt: *Οἰταῖόν τινά φημι Μύσων' ἐν Χηνὶ γενέσθαι*, quanquam antiquum errorem fuisse ipsam doctorum apud Diogenem disceptationes ostendunt.

170) Cf. Suidas p. 3924 pluraque apud Menag. ad Diog. L. I 42.

171) Cf. Diog. L. I 30: *Ἄνδρων δ' ἐν τῷ τρίποδι Ἀργείους ἆθλον ἀρετῆς τῷ σοφωτάτῳ τῶν Ἑλλήνων τρίποδα θεῖναι κριθῆναι δὲ Ἀριστόδημον Σπαρτιάτην, ὃν παραχωρῆσαι Χίλωνι*, pluraque apud Wiskem. p. 16.

172) Isthm. II. 9, ubi recte Dissenius p. 492: *quum hic homo nunc dicatur Argivus, schol. Ἀργείην Ἑλένην comparat, indocte; neque enim post reditum Heraclidarum sic Argivus dici potuit, qui Spartanus erat; immo Argis, ut videtur, oriundus, apud Spartanos quum viveret, vulgo dictus est Spartanus.*

173) P. 47 Matthiaei: *ὥς γάρ δή ποτέ φασιν Ἀριστόδαμον ἐν Σπάρτῃ λόγον οὐκ ἀπάλαμνον εἴπην* unde quam facile in Spartanum converti potuerit, videmus ex Zenob. proverb. cent. VI. 43: *Ἀλκαῖος δὲ ὁ ποιητὴς ὑπὸ Ἀριστοδήμου τοῦ Λακεδαιμονίου εἰρῆσθαι ταύτην φησίν*

174) Schol. Pind. p. 526: *οὗτος οὖν ὁ Ἀριστόδημος Σπαρτιάτης ὢν πένης γεγονὼς καὶ συναπολέσας τὴν τῶν φίλων ἑταιρείαν ἔφη χρήματ' ἀνήρ πενιχρὸς δ' οὐδεὶς πέλετ' ἐσλὸς οὐδὲ τίμιος*: quae haud scimus an eam commodissimam explicationem habeant, ut Aristodemum optimatum principem a populari factione Argis pulsum Spartae in exilio degisse statuamus; tali certe homini maxime ea verba conveniunt; cf. Welcker. ad Theogn. p. LIV.

175) Theogn. v. 768 (786 Bekk.): *καί μ' ἐφίλευν προφρόνως πάντες ἐπερχόμενον.*

eorum principes, qui altiores spiritus primi in philosophia concepisse dicuntur, aut inhospitalem Spartam experti sunt, aut nihil ibi, quod gratam ipsorum memoriam posteris traderet, reliquerunt; quorum unus Pherecydes simul cum Terpandro et Thaleta inter eos refertur, qui quamvis peregrini non secus atque ipse Lycurgus praecipiendo Spartanis profuerint [176]), alter vero Anaximander et gnomonem a se inventum primus Spartae in loco publico collocavit [177]) et terrae motum praedixit, quo et urbs tota corruit et ex monte Taygeto extrema montis quasi puppis avulsa est [178]); neque in rerum sacrarum procuratione ut olim Thaletae ita tunc Abaridis [179]) aut Epimenidis opera uti recusarunt [180]), cujus etiam mortui

176) Cf. sup. not. 8 cum Diog. L. I. 117: *καὶ Λακεδαιμονίοις εἰπεῖν μήτε χρυσὸν τιμᾶν μήτε ἄργυρον*, eademque apud Olympiod. ad Plat. Alcib. p. 164.

177) Diog. L. II. 1: *εὗρε δὲ καὶ γνώμονα πρῶτος καὶ ἔστησεν ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι κ. τ. λ.* Plinius quidem hoc inventum Anaximeni potius tribuit Hist. Nat. II. 76: *umbrarum hanc rationem et quam vocant gnomonicen invenit Anaximenes . . primusque horologium quod appellant sciothericum Lacedaemone ostendit*; hunc tamen nemo praeterea Spartam venisse novit, quamque reliqui omnes rem ad Anaximandrum referant, Plinius discipulum cum magistro confudisse videtur; cf. Martini von den Sonnenuhren der Alten, Lips. 1777. 8, p. 72 sqq.

178) Cic. div. I. 50; Plin. Hist. Nat. II. 79. Miro autem lapsus est Müller. Dor. T. I, p 189, qui hunc terrae motum eundem censet cum eo, qui tertio bello Messeniaco ansam dedit Ol. LXXVIII; Anaximandrum enim fere centum annis ante vixisse constat, cf. Clinton. in Mus. Philol. T. I, p. 89, tantamque aberat ut Lacedaemonii tunc *moniti fuerint, ut urbem et tecta linquerent armatique in agro excubarent*, ut propter improvisam mali vim viginti hominum millia ruinae succubuisse dicantur!

179) Paus. III 13. 2: *Λακεδαιμονίοις δὲ ἀπαντικρὺ τῆς Ὀλυμπίας Ἀφροδίτης ἐστὶ ναὸς Κόρης Σωτείρας· ποιῆσαι δὲ τὸν Θρᾷκα Ὀρφέα λέγουσιν, οἱ δὲ Ἄβαριν ἀφικόμενον ἐξ Ὑπερβορέων*: cf. Jambl. V. Pythag. §. 92: *Λακεδαίμονα γοῦν παρειλήφαμεν μετὰ τὸν ἐπ' ἐκείνου γενόμενον καθαρμὸν μηκέτι λοιμῶξαι κ. τ. λ.* deque ipso homine Lobeck. Aglaoph. p. 314; Baehr. ad Herod. IV. 36; Bergk de com. Att. reliqu. p. 42.

180) Cf. Paus. III. 12. 9: *πρὸς δὲ τῇ Σκιάδι οἰκοδόμημά ἐστι περιφερές, ἐν δὲ αὐτῷ Διὸς*

sive corpus integrum [181]) sive vaticinia pelli inscripta sancte servasse traduntur [182]); omnium denique insignissimum Pythagorae exemplum est, quem non modo visendi causa Spartam adiisse [183]) sed etiam discipulos utriusque sexus ibi invenisse legimus, inter quos ipsius Chilonis filia Chilonis nominatur [184]), utque etiam hic temerarium sit, quod nonnullis placet Pythagoram ea quae in ipsius reipublicae societatisque constitutione Doricae gentis indolem referunt, ex ipsis Spartanorum institutis transtulisse [185]), xenelasiae certe ne tum quidem eam vim fuisse apparet, qua illi mox sive corruptelae metu, sive, quae locupletissimorum auctorum sententia est, invidia et quodam occultandorum institutorum suorum studio peregrinos ab omni sui contagione prohibuisse dicuntur [186]). Mira pro-

---

καὶ Ἀφροδίτης ἀγάλματα ἐπίκλησιν Ὀλυμπίων· τοῦτο Ἐπιμενίδην κατασκευάσαι λέγουσι: pluraque apud Heinrich. Epimen. aus Kreta p. 127 sqq.

181) Paus. III. 11. 8; Diog. L. I. 115.

182) Cf. Meursii Creta p. 289 et Nitzsch. de hist. Hom. T. I, p. 161, quem et hac de fabula et de miro Pherecydis sacrificio, cujus *δορὰν κατά τι λόγιον ὑπὸ τῶν βασιλέων φρουρουμένην* Plut. V. Pelop. c. 21 memorat, unice recte judicasse censemus; *nam illas cutes Epimenidis, Pherecydis Syri et Anthis non excoriatorum vatum exuvias, sed διφθέρας esse dicendas collectis bene rationibus quivis intelliget*; neque Leutschio assentior, qui in Thes. LX p. 17 ex mysteriis omnem rem derivandam existimat. De vaticiniis Epimenidis cf. Paus. II. 21. 4 et Diog. L. I. 114.

183) Valer. Max. VIII. 7, ext. 2; Justin. XX. 4; Jambl. V. Pythag. §. 25.

184) Eurycratem, Autocharidam cum sorore Cleaechma, Cleanorem cum uxore Cratesiclea, quos enumerat Iamblichus §. 267, amplius non novimus; Chilonis autem haud scio an eadem sit cum Percalo Chilonis filia apud Herod. VI. 65, quae eodem modo quo Eumetis illa Cleobulina et suo et paterno nomine appellari poterat; Chilonem certe quod Herodotus Demarmeni, Diogenes Demageti filium dicit, librariorum tantum errori tribuo.

185) Krische de societ. a Pythag. cond. scopo politico p. 35; Wiskem. p. 20 sqq.

186) Altera sententia est Xenoph. Rep. Lac. XIV. 4: *ἐπίσταμαι δὲ καὶ πρόσθεν τούτου*

fecto haec conversio fuit, qua factum est, ut iidem homines, qui ad Persica usque bella nihil quod ingenii magnitudine aut elegantia excelleret a se alienum duxissent [187]), velut subito torpore correpti suisque ipsi viribus diffidentes omnem illam inventorum novitatem, quibus tum maxime Graecorum ingeniorum fecunditas exuberabat, procul a Laconicae finibus arcerent [188]), atque ita tantum integras leges patrias servari arbitrarentur, si primoribus literarum elementis contenti vel iis abstinerent, quibus ipse Pythagoras posteaque Plato omnis sapientiae fundamenta contineri censuerunt [189]); ne quis tamen eorum opinione inductus, qui hoc quoque institutum a Lycurgo inde immutabile durasse narrant, iis ipsis fidem negare malit, quae modo quamvis clarissimis veterum testimoniis de musicis philosophisque exteris docuimus, verbo certe etiam artium opera com-

---

ἕνεκα ξενηλασίας γινομένας . . ὅπως μὴ ῥᾳδιουργίας οἱ πολῖται ἀπὸ τῶν ξένων ἐμπίπλαιντο, altera Periclis Thucydidei II, 39, ubi hoc ipso nomine Athenienses Lacedaemoniis opponit: καὶ οὐκ ἔστιν ὅτε ξενηλασίαις ἀπείργομέν τινα ἢ μαθήματος ἢ θεάματος, ὃ μὴ κρυφθὲν ἄν τις τῶν πολεμίων ἰδὼν ὠφεληθείη: quem quod reprehendit Plutarch. V. Lycurg. c. 27, eo inconstius factum judicamus, quo clarius idem V. 68 Lacedaemoniorum τῆς πολιτείας τὸ κρυπτὸν commemorat, neque ipse Plato quamvis jocans aliter sentire videtur Protag. p. 342 E: ξενηλασίας ποιούμενοι τῶν τε λακωνιζόντων τούτων καὶ ἐάν τις ἄλλος ξένος ὢν ἐπιδημήσῃ, συγγίγνονται τοῖς σοφισταῖς λανθάνοντες τοὺς ξένους κ. τ. λ.

187) Müller. Dor. T. II, p. 396: *so begründet denn auch diess wieder die Ansicht, die wir mehrmals im Gegensatz der gewöhnlichen aufgestellt haben, dass bis nach der Zeit der Perserkriege alles geistig Grosse und Schöne nichts weniger als von Sparta ausgeschlossen, sondern vielmehr dort durchaus heimisch und lebendig war.*

188) Plat. Lach. p. 183 B: ἐγὼ τούτους ὁρῶ τὴν μὲν Λακεδαίμονα ἡγουμένους εἶναι ἄβατον ἱερὸν καὶ οὐδὲ ἄκρῳ ποδὶ ἐπιβαίνοντας κ. τ. λ.

189) Lehrbuch cit. §. 26, not. 10 inque primis Plat. Hipp. Maj. p. 284 B: οὐ γὰρ πάτριον Λακεδαιμονίοις κινεῖν τοὺς νόμους οὐδὲ παρὰ τὰ εἰωθότα παιδεύειν τοὺς υἱεῖς, et p. 285 C: ἐπεὶ οὐδ᾽ ἀριθμεῖν ἐκείνων γε, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πολλοὶ ἐπίστανται.

memoranda sunt, quorum quum ex iis temporibus, quae bella Persica insecuta sunt, vix unum alterumve in tota Laconica inveniretur, quod ex eorum artificum manu prodiisset, qui tunc omnem Graeciam industriae suae fructibus impleverunt [190]), ex antiquiori aetate etiam Pausanias tantas reliquias vidit, ut hoc uno argumento etiam reliquae illae narrationes plenam confirmationem accipiant. Et statuariae quidem artis omnium quotquot Graecia norat antiquissimum monumentum ex aere Spartae exstabat prope Chalcioeci aedem Jovis signum a Learcho Rhegino factum, quem alii Dipoeni et Scyllidis, alii ipsius Daedali discipulum ferebant [191]); toreuticae autem vel Pausaniae aetate vix ullum insignius opus visebatur quam Apollinis Amyclaei solium, quod et ipsum peregrinus Bathycles Magnesia oriundus Lacedaemoniis fabricaverat [192]), neque celeberrimi, quem priscum tempus vidit, artificis Theodori Samii solertia Lacedaemon caruit, cujus ductu aedificatam Sciadem habebat, ubi etiam sub

190) Sic Polycleti signum Veneris in Amyclaeo templo commemorat Pausan. III. 18. 5, neque alia donaria desunt, quae posteriori tempore variis a Spartani dicuntur; plerorumque tamen ex his ne nomen quidem artificis innotuit.

191) Paus. III. 17. 6: *παλαιότατον πάντων, ὅσα ἐστὶ χαλκοῦ· δι' ὅλου γὰρ οὐκ ἔστιν εἰργασμένον, ἐληλασμένου δὲ ἰδίᾳ τῶν μερῶν καθ' αὑτὸ ἕκαστον συνήρμοσται πρὸς ἄλληλα καὶ ἧλοι συνέχουσιν αὐτὰ μὴ διαλυθῆναι* κ. τ. λ. Pro *Learcho* recentissimi editores ex conjectura *Clearchum* scripserunt, ut idem esset, qui VI 4. 2 Pythagoram Rheginum docuisse dicitur; at hujus non Dipoenus sed Euchirus magister fertur, neque omnino verisimile est eum, cujus discipulus post Canachum et Calamidem (Cic. Brut. 18) cum Myrone vixit (Plin. H. N. XXXIV. 8. 19), signum omnium quae Graecia nosset antiquissimum fecisse!

192) Cf. Paus. III. 18. 6 pluraque apud Heynium antiqu. Aufsätze T. I, p. 1–114 et Quatremerium de Quincy Jup. Olympien p. 196 sqq. Aeneum fuisse vult Thiersch. über die Epochen d. bild. Kunst unter den Griechen p. 178; nos sequimur Müllerum Archäol. d. Kunst §. 85. 2.

imperatoribus Romanis publica consilia agi solebant [193]); quibus comprehensis hoc quoque in genere nihil minus quam inhumanos aut inhospitales Spartanos fuisse nec sibi solis placentes reliquae Graeciae incrementa ac decora neglexisse intelligemus [194]). Illud tantum hoc in argumento ambigi potest, utrum hi quos diximus artifices cum aliis ad initia fere Olympiadum rejiciendi an circa ipsa septem sapientum tempora collocandi sint [195]); nos tamen etsi non multum ad sententiam nostram intersit, modo Persicis bellis anti-

---

193) Cf. Paus. III. 12 8: *ταύτην τὴν σκιάδα Θεοδώρου τοῦ Σαμίου φασὶν εἶναι ποίημα, ὃς πρῶτος διαχέαι σίδηρον εὗρε καὶ ἀγάλματα ἀπ' αὐτοῦ πλάσαι*: deque Theodoro plura apud Sillig. Catal. artif. p. 439 sqq.

194) Thiersch l. c. p. 170: *ja selbst den Spartiaten blieb nur die spätere mit der Herrschaft von Athen begonnene feinere Bildung fremd; weiter zurück fand unter ihnen Alles, was Griechenland in Kunst und Poesie Schönes erzeugt hatte, gastlichen Empfang* etc.

195) Sic Thierschius l. c. p. 47 Learchum vel ante Olympiadum initium collocat, quo tempore Rhegium ne conditum quidem erat, quia Rhoeco antiquiorem fuisse censet, quem ipsum circa Olymp. I ponit, quo facto etiam Theodorum Rhoeci filium non multo post vixisse consentaneum erit; Bathyclem denique ad Olymp. XXIX rejicit, posteriori aetate Spartanos ipsos artifices ex Dipoeni et Scyllidis disciplina habuisse arguens, quapropter peregrinis non amplius indigerent; at Learchus et ipse Dipoeni discipulus dicitur, cui quod alii Daedalum substituunt, non magis curo quam quod Plato Ion. p. 533 A eidem Theodorum addit, quem non ante Olymp. XL vixisse Hirtius sagacissime inde evicit, quod teste Diog. L. II. 103 consilium dederat de fundamentis templi Ephesii jaciendis, hoc autem templum, quod circa Olymp. XCV dedicatum esse ex Macrob. Saturn. V. 22 prodit, secundum Plin. H. N. XXXVI. 14. 21 ducentis viginti annis factum est; cf. Comm. Acad. Berol. 1804, p. 17. Nam quod alio loco Plinius XVI. 40. 79 ejusdem templi exstructionem quadringentis annis durasse ait, librariorum errori tribuo, qui in l. XXXVI, cujus optimum cod. Bambergensem habemus, non adeo facile statui potest; quod autem idem XXXV. 12. 45 *Theodorum cum Rhoeco multo ante Bacchiadas Corintho pulsos plasticen invenisse tradit*, haud scio an duorum Euchirorum confusione in errorem ductus sit, quorum alter Olymp. XXIX Demaratum Bacchiadam in Etruriam secutus esse dicitur, alter autem Clearchi magister (cf. not. 191) circa Olymp. LXV demum florere potuit.

quiores fuerint, ut posteriorem potius computationem amplectamur, praeter alia doctissimorum virorum argumenta [196]) in Learcho et Bathycle vel illud movet, quod simillima Cypselidarum Corinthi tyrannorum donaria Olympiae dedicata esse traduntur [197]), qua in re hoc quoque memorabile erit, quod Spartani eodem tempore, quo tyrannorum imperia quanta possent acrimonia persequebantur, artifices tamen ut philosophos, quos et ipsos Periandri Cypselidae amicos fuisse constat, non minore quam illi studio foverunt; neque Theodori Samii dissimilis causa erit, qui, si Pausaniam sequimur, idem Polycrati tyranno operam suam praestitit [198]), aut si vel maxime duos ille cognomines inter se confudit [199]), temporum certe discrimen haud adeo magnum erit [200]), semperque Lacedaemoniis ea laus manebit, ut ne ejus quidem hominis opera uti recusaverint, qui Ion genere adeo omnem Graecae artis formam mutavit, ut qui

---

196) De Bathycle cf. Sillig. p. 105; de Learche Hirt. in Böttig. Amalthea T. I, p. 259.

197) Arcam dico et aureum illud signum *σφυρήλατον* apud Plat. Phaedr. p. 236 B, quarum utrumque circa Olymp. XL factum esse ipsa Cypselidarum tempora produnt; arcam enim eandem potius, in qua infans Cypselus occultus fuerit, quam donarium nominis argumento factum fuisse jam Heynio (über den Kasten des Cypselus, Gött. 1770) parum verisimile visum est.

198) Paus. VIII. 14. 5: *διέχεαν δὲ χαλκὸν πρῶτοι καὶ ἀγάλματα ἐχωνεύσαντο Ῥοῖκός τε Φιλαίου καὶ Θεόδωρος Τηλεκλέους Σάμιοι· Θεοδώρου δὲ ἔργον ἦν καὶ ἡ ἐπὶ τοῦ λίθου τῆς σμαράγδου σφραγίς, ἣν Πολυκράτης ὁ Σάμου τυραννήσας ἐφόρει τε τὰ μάλιστα καὶ ἐπ' αὐτῇ περισσῶς δή τι ἀγάλλετο.*

199) Si quidem alii Theodorum qui architectura et statuaria arte inclaruit, Rhoeci potius quam Teleclis filium appellant; cf. Thiersch. l. c. p. 181 et Bähr ad Herod. III. 41.

200) Teleclem enim Theodori minoris patrem majoris fratrem fuisse docet Diodor. Sic. I. 98, unde apparet hunc quoque vix aliquot lustris Polycratem antecedere potuisse, cf. Müller. Archäol. §. 60 et Fischer. Zeittafeln p. 110.

solos mores antiquos sequerentur, a nemine magis abhorrere nullique inter aequales diligentius aditum praecludere debuissent.

VI.

At enim vero si quis in tanto hoc asciscendarum optimarum artium studio miretur, quomodo nihilominus aut ea de Lacedaemoniis fama oriri potuerit, ut per tot saecula immobiles in solis Lycurgeae aetatis vestigiis haesisse viderentur, aut ipse ille torpor locum invenerit, quo post Persica certe bella omnium Graeciae incrementorum rudes hujus quoque generis principatum Atheniensibus concesserunt, jam ad ipsum discrimen redeundum erit, quod in totius disputationis limine inter universam rem publicam Spartanorum singulosque ejus cives ita constitui, ut alteram nulla lex institutumve impedierit, quo minus ea quae salvis civitatis fundamentis Doricaeque nationis indole recipi possent, eodem modo ab exteris transferret, quo Lycurgus Homerica carmina secum apportasset, singuli autem ipsa morum publicorum sanctione adeo constricti sint, ut ab his utique nullo tempore quidquam exspectari posset, quod insignem veteribus ritibus mutationem afferret; neque alia omnium quae adhuc disputavi summa est, nisi Lacedaemonios, quidquid unquam novorum inventorum in civitatem moresque gentis receperint, fere omnia exteris debere maluisse, indigenas autem in his ipsis, quae publico consensu atque auctoritate illata essent, non minore quam in iis quae a patribus accepissent severitate retinuisse, unde fieri necessarium erat, ut vel in tantis quanta vidimus incrementis

aemulatione interna et promovendarum artium studio prorsus carerent interque tot clarissima peregrinorum monumenta exigua tantum Laconum qui alicui arti operam dederint memoria ad nos pervenerit[201]. Alcmanem enim, ut Velleji Paterculi verbis utar[202], falso sibi Lacones vindicant, cujus easdem partes in literis Doricis fuisse dixerim, quae Livii Andronici in Romanis fuerunt, ut peregrinus et servili genere natus primum exemplum domestici sermonis certorum modorum numerorumque legibus adstringendi ederet; hoc vero demto, si a Chilone discesseris, qui tamen et ipse nihil novi Spartae intulit, vix nomina aliqua invenies, quae alicujus artis tractatione inclaruerint, insignem autem hominem adeo nullum, ut vel nominum illorum pleraque unius tantum commemorationis beneficio aetatem tulerint. Est quidem qui multos olim carmina Spartae fecisse affirmet[203]; nomina vero si requiras, praeter Clitagoram poëtriam, quam ne Lacaenam quidem alii sed haud scio an rectius Thessalam fuisse narrant[204], duos tantum accipies, singulis utrumque locis

201) Apposite jam Welckerus ad Alcmanis fragm. p. 5: *Spartanorum lyricos*, inquit, *primarios haud fuisse indigenas, artemque musicam Lacedaemone honoratam quidem, sed tanquam hospitam quandam aut μέτοικον habitam esse, ex variis indiciis perspicere mihi videor.*

202) Vell. I. 18; cf. Ulrici Gesch. d. hellen. Dichtkunst T. II, p. 388; Bode T. II, P. 2, p. 17 sqq.

203) Athen. XIV. 33: *διετήρησαν δὲ μάλιστα τῶν Ἑλλήνων Λακεδαιμόνιοι τὴν μουσικήν, πλείστῃ αὐτῇ χρώμενοι, καὶ συχνοὶ παρ' αὐτοῖς ἐγένοντο μελῶν ποιηταί*: quod tamen et ipsum ad antiquiorem tantum aetatem spectare docent sequentia: *τηροῦσι δὲ καὶ νῦν τὰς ἀρχαίας ᾠδὰς ἐπιμελῶς κ. τ. λ.*

204) Schol. Aristoph. Lysistr. 1239: *ἡ γὰρ Κλειταγόρα ποιήτρια ἦν Λακωνική, ἧς μέμνηται καὶ ἐν Δαναΐσιν Ἀριστοφάνης*: eadem tamen ad Vesp. 1238 *Θετταλή τις γυνή* appellatur. Lesbiam unde habeat Bergk. ad Aristoph. fragm. p. 167, ignoro; imperitius vero Schöll-

commemeratum, Dionysodotum et Spendontem, quorum alter Thaletae, alter Terpandri vel Alcmanis vestigia prsssisse videtur[205], neque in reliquis poësis generibus ullius Laconis nomen celebratur nisi Cinaethouis, qui tantum abest ut aliquo novo invento famam nactus sit, ut et argumentis suis nihil aliud comprehenderit, nisi quod priscis fabulis traditum etiam posterius Spartanis impune vel a Sophistis tractari posse videretur[206], et ipso genere in magno eorum numero habeatur, qui externam Homericae poesis formam ad qualescunque heroicae aetatis reliquias transtulisse contenti paulatim ad eam jejunitatem pervenerunt, qua cyclicos scriptores jam inter antiquos infames fuisse videmus[207]. Nam quod Welckerus Cinaethonem eundem censet cum Cynaetho, qui ejus certe instituti novitate inter Graecos inclaruit, ut Homerica carmina in partes dispersa ac divulsa passim per oppida et mercatus recitarentur[208], non modo ipsa suspicionis audacia parum adhuc commendationis apud

---

griech. Lit. T. 1, p. 145 feminam in merem mutavit eumque ceece secutus est Limburg-Brouwer hist. de la civil. des Grecs T. II, p. 458.

205) Athen. XV. 22; Plut. V. Lycurg c. 28.

206) Paus. II. 3. 7: *ἐγενεαλόγησε γὰρ καὶ οὗτος ἔπεσι* cf. Nitzsch. de hist. Homeri T. I, p. 96: *Cinaethonem non dice solas Spartae fabulas esse complexum* (Paus. II 18. 5; IV. 2. 1; VIII. 53. 2; Schol. Iliad. III. 175), *at eam hoc genus habuit commendationem, quam Hippias apud Platonem* (Hipp. Maj. p. 285 D) *in Spartanis demonstrat: περὶ τῶν γενῶν τῶν τε ἡρώων καὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν κατοικίσεων . . καὶ συλλήβδην πάσης τῆς ἀρχαιολογίας ἥδιστα ἀκροῶνται*; pluraque apud Ulricium T. 1, p. 429.

207) Oedipodeam ipsi tribuit tabale Borgiana in Bibl. d. a. Liter. u. Kunst T. IV, p. 58 sqq., Telegoniam Euseb. Chron. Olymp. III, pervam Iliadem Hellanicus apud Schol. Eurip. Troad. v. 821, Heracleam Schol. Apoll. Rhod. I. 1357; Theogoniam, quam alii statuerant, recte abjecit C. G. Müller de cyclo Graec. epico p. 62.

208) Welcker. ep. Cyklus p. 212 sqq.; cf. Bode Gesch. d. hellen. Dichtkunst T. I, p. 359.

viros doctos invenit [209]), verum etiam claro veteris auctoris testimonio rhapsodorum artem sero demum Spartam translatam esse novimus [210]); ipse denique Welckerus eum hominem, quem nomine tantum diverso Cinaethonem eundem et Cynaethum appellat, non Laconem sed Chium fuisse vult [211]), quo facto sive omnino alius fuit qui genealogica carmina inter Lacedaemonios fecisse dicitur, sive aliquo errore, qualem in Aristodamo vidimus, falsae patriae nomen in illum translatum est [212]), Lacedaemoniorum certe in honorem nihil ex iis quae veteres Cynaetho tribuerunt converti potest. Gitiades denique, qui et ipse carmina Dorica et hymnos pepigisse traditur, quidquid famae inter antiquos habuit, statuariae potius arti debuisse videtur, cujus unum saltem at insigne monumentum in urbe Sparta reliquit Minervae signum et aedem, quae ab ipsius arte Chalcioeci nomen acceperat [213]), praetereaque Amyclis in Apollinis

209) Cf. O. Müller. in Zeitschr. f. d. Alterth. 1835, p. 1173; Nitzsch. in A. L. Z. 1838, Erg. Bl. p. 127 sqq.

210) Max. Tyr. XXIII. 5: *ὀψὲ μὲν γὰρ ἡ Σπάρτη ῥαψῳδεῖ*: quod quum ad ipsam Homericorum carminum notitiam referri nequeat, si quid valet, ad rhapsodorum certamina spectat.

211) Cynaethum certe Chium claris verbis dicit Schol. Pind. Nem. II. 1; cf. Wolf. Prolegg. p. 106, Nitzsch. hist. Hom. T. I, p. 131 et 147, Kreuser. homer. Rhapsoden p. 126.

212) Sic ipse Welckerus p. 246: *nur in solchem Sinne, durch Aufenthalt, nicht durch Geburt wird dann auch Kinaethon Lacedaemonier gewesen seyn*; quanquam antea p. 242 eum cujus Pausanias meminit ab antiquiore epico distinguit vel illius carmina perperam in hunc translata esse statuit.

213) Paus. III. 17. 3: *Λακεδαιμόνιοι πολλοῖς ἔτεσιν ὕστερον τόν τε ναὸν ὁμοίως καὶ τὸ ἄγαλμα ἐποιήσαντο Ἀθηνᾶς χαλκοῦν, Γιτιάδας δὲ εἰργάσατο ἀνὴρ ἐπιχώριος· ἐποίησε δὲ καὶ ᾄσματα Δώρια ὁ Γιτιάδας ἄλλα τε καὶ ὕμνον ἐς τὴν θεόν.*

templo tripodes dearum imaginibus exornatos fecerat, qui non indignum locum juxta Callonis Aeginetae opera tenebant[214]; quanquam hac ipsa comparatione etiam statuario non tantum auctoritatis tribuemus, quantum multis visum est, qui illum circa primum bellum Messeniacum viventem ipsum sibi viam aperuisse statuerunt[215], dum alii eundem nostro judicio rectius ad proximam ante bella Persica aetatem referunt[216], quo tempore quamvis egregius artifex et ipse alienis potius inventis usus esse quam suis qualibuscunque artem promovisse videbitur. Pausaniae certe loci, quorum comparatione prior sententia nititur, si quid argumenti pro priscis illis temporibus continerent, eodem etiam tertii ex illis tripodibus artificem Callonem rejicerent, siquidem claris verbis non duos sed tres tripodes ex Messeniacis manubiis dedicatos esse legimus[217], neque

---

214) Paus. III. 18. 5: *τὰ δὲ ἐν Ἀμύκλαις θέας ἄξια ἀνὴρ πεντάθλος ἐστὶν ἐπὶ στήλης . . τούτου γε οὖν ἐστιν εἰκὼν καὶ τρίποδες χαλκοῖ, τοὺς δὲ ἀρχαιοτέρους δεκάτην τοῦ πρὸς Μεσσηνίους πολέμου φασὶν εἶναι· ὑπὸ μὲν δὴ τῷ πρώτῳ τρίποδι Ἀφροδίτης ἄγαλμα ἑστήκει, Ἄρτεμις δὲ ὑπὸ τῷ δευτέρῳ, Γιτιάδα καὶ αὐτοὶ τέχνη καὶ τὰ ἐπειργασμένα, ὁ τρίτος δέ ἐστιν Αἰγινήτου Κάλλωνος, ὑπὸ τούτῳ δὲ ἄγαλμα Κόρης τῆς Δήμητρος ἕστηκε κ. τ. λ.*

215) Haec aetatem post Winckelmannum, Zoëgam, alios, acute nuper defendere studuit Welckerus in Gerhard. hyperb. röm. Stud. f. Archäol. T. 1, p. 262 sqq.

216) Haec sententia est Hirtii (Gesch. d. Baukunst T. I, p. 228, Schornii (Stud. d. griech. Künstler p. 196), Thierschii (Epochen d. griech. Kunst p. 147 sqq.), Silligii (cat. art. p. 217), Mülleri (Handb. d. Archäol. §. 82), quibus etsi in explicando Pausaniae loco non omnino assentimur, temporum tamen rationes facile concedimus.

217) Paus. IV. 14. 2: *ἀνέθεσαν δὲ καὶ ἀπὸ τῶν λαφύρων τῷ Ἀμυκλαίῳ τρίποδας χαλκοῦς· Ἀφροδίτης ἄγαλμά ἐστιν ἑστηκὸς ὑπὸ τῷ τρίποδι τῷ πρώτῳ, Ἀρτέμιδος δὲ ὑπὸ τῷ δευτέρῳ, Κόρης δὲ τῆς Δήμητρος ὑπὸ τῷ τρίτῳ,* ubi quod recentissimi editores persuaderi sibi passi sunt, ut tripodum descriptionem tanquam scioli additamentum uncinis includerent, eo minus probamus, quo magis ipsa illorum sententia de Gitiadae et Callonis aequalitate his potis-

ἀρχαιοτέρων vocabulo, quas illius belli decimas fuisse ait, Gitiadae magis quam Callonis opera Aristandreis et Polycleteis opponit, quae a victoria Aegospotamensi originem habebant; atqui Callonis aetas et aliis argumentis et Canachi Sicyonii aequalitate, qui Olymp. LXV vixit, satis certo constat [218]); eadem igitur remedia, quae huic difficultati adhibenda sunt, pari jure in Gitiadam convenient, ut aut aera ex antiqua praeda servata posterius demum artificum manibus credita, aut vetera donaria aliquo casu corrupta ab his instaurata novisque formis ornata esse suspicemur; utque Callone Gitiadas antiquior fuerit, nihil causae aderit, cur hunc aut iis temporibus gratificemur, quibus ne usus quidem statuariae artis concedi posse videtur, aut a communi Dipoeni et Scyllidis disciplina removeamus, quos sicut Learchum Rheginum et ipsius Callonis magistros Angelionem et Tectaeum docuisse novimus [219]), ita etiam Lacedaemonem artificiorum suorum novitate illustrasse veri haud dissimile est [220]). Hos enim Plinius ait [221]) marmore scalpendo primos omnium inclaruisse etiam Medis imperantibus priusque quam Cyrus in Persis regnare inciperet, hoc est Olympiade circiter quinquagesima, neu

---

simum verbis confirmatur; nam quod Welckerus p. 365 hic omnes tres figuras Gitiadae tribui ait, aperte circulum in demonstrando commisit.

218) Paus. VII 18. 6; cf. Sillig. p 46 et 130, qui Mülleri errorem (Aeginet. p. 101) de belli Peloponnesiaci tempore recte confutavit.

219) Paus. II. 32. 4.

220) Thiersch. l. c. p. 173: *da Dipoenus und Skyllis ein wanderndes Künstlerleben führten, so ist nicht unwahrscheinlich, dass sie auf längere Zeit auch in Lakedaemon gearbeitet und die Schule, aus welcher jene Meister hervorgingen, dort gegründet haben.*

221) Plin. Hist. Nat. XXXVI. 4; cf. Welcker. apud Gerhard. l. c. p. 270 sqq.

14

quis cum Welckero neget ab his quippe sculptoribus statuarium quidquam discere potuisse, neque ab hac arte alienos fuisse vel inde apparet, quod Sicyonem se contulisse dicuntur, quae diu fuerit officinarum omnium metallorum patria; quod si ne Learchum quidem, omnium quotquot Pausanias novit signorum ex aere antiquissimi auctorem, quem vel Rhoecum Theodorumque aetate superasse consentaneum sit, propter Dipoeni et Scyllidis magisterium ultra septem sapientum tempora removere sustinuimus, non habemus quo jure Gitiadam, cujus ars etiam longius provecta fuisse videtur, integro saeculo ante suo ingenio statuarium factum esse credamus. Neque aliter de reliquis hominibus Lacedaemoniis existimamus, qui ejusdem artis nomine passim apud Pausaniam commemorantur [222]): quorum alii, Doryclidas, Theocles, Medon, Dontas, claris verbis ex illorum duumvirorum disciplina prodiisse dicuntur, aliorum autem, ut Syadrae et Chartae, qui discipulis potius quam magistris censentur, tempora certe ipsa discipulorum successione computata in eandem aetatem incidunt [223]); opera vero aut omnino nulla memorantur aut tam exigua, ut in omnes cadere videatur, quod de Aristone et Telesta satis festive Pausanias ait: *τούτους οὐκ ἐς ἅπαν τὸ Ἑλληνικὸν ἐπιφανεῖς νομίζω γενέσθαι, εἶχον γὰρ ἂν τι καὶ Ἠλεῖοι περὶ αὐτῶν λέγειν, καὶ πλέονα ἔτι Λακεδαιμόνιοι πολιτῶν γε ὄντων*: utque Mülleri

222) Paus. V. 17. 1; 23. 6; VI. 19. 9.

223) Paus. VI. 4. 2 de Pythagora Rhegino: *διδαχθῆναι δὲ παρὰ Κλεάρχῳ φασὶν αὐτὸν, Ῥηγίνῳ καὶ αὐτῷ, μαθητῇ δὲ Εὐχείρου, τὸν δὲ Εὔχειρον εἶναι Κορίνθιον, φοιτῆσαι δὲ ὡς Συάδραν τε καὶ Χάρταν Σπαρτιάτας*: cf. sup. not. 191.

suspicionem mittamus, qui ne Spartanos quidem sed perioecos fuisse haud profecto improbabiliter existimat[224]), quo majorem illic templorum aliorumque monumentorum publicorum copiam aut ipsi apud Pausaniam cognoscimus aut pro rei natura statuere debemus, quorum nullius fere auctor posterorum memoriae innotuit, eo certius nobis persuadebimus, quantum in iis indigenarum elaboraverit, opificum magis quam artificum in numero habendum esse, qui veterem potius consuetudinem aut aliena vestigia sequentes quam sua ipsi ingenia exercentes nihil praestiterint, quapropter nomina eorum posteritati tradi operae pretium esset. Atque hoc quidem tam diu ferri poterat, quamdiu tantum Lacedaemoni cum exteris commercium intercedebat, unde passim novorum inventorum exemplaria et adhortamina inveherentur; hoc autem intermisso nihil aliud evenire poterat, nisi ut una cum alimentis suis vel opificum industria periret ingeniorumque torporem etiam publica illa labes sequeretur, qua mox solius speciei retinentes satis pro Lycurgeorum institutorum perennitate sibi fecisse videbantur, si nihil aut temporibus aut ipsi mutatae civitatis indoli concessissent; iidem tamen, dum externa necessitate urgente multa praeter antiquum usum committere cogerentur, paulatim ad eam reipublicae corruptelam decidebant, quae priscae excellentiae vix umbram vel simulacrum aliquod servaret. Sed hac de re satis jam alibi disputatum est; mihi, quum de novis Lacedaemoniorum post Lycurgum institutis agere

224) Müller. Dor. T. II, p. 29: *die wahrscheinlich alle für Periöken zu halten sind, wenn sie auch Pausanias, den genaueren Unterschied vernachlässigend, Spartiaten nennt;* cf. Thiersch. l. c. p. 170.

aggrederer, hoc potius propositum erat, ut salva et integra reipublicae praestantia vel apud Lacedaemonios multa nova recipi potuisse demonstrarem, unde tantum aberat ut aliquid detrimenti paterentur, ut tum demum labi coeperint, quum ab illa via deflecterent; neque quidquam magis contra instituti nostri naturam facere possemus, quam si ea, quae post bella Persica ex mutata ipsa Spartanorum indole prodierunt, cum iis confunderemus, quae ante illam aetatem ipsa novarum rerum recipiendarum fiducia sanitatem et vigorem civitatis testantur. Magna hercle res est constantia, neque ulla re divini mundi regiminis similior homo redditur, quod hoc ipso nomine excellit, quia omnia certis legibus moventur nec singulorum quidquam a communi omnium amussi aberrat; huic ipsi tamen si motum quoque demseris atque ita demum veram constantiam effici censueris, si omnia immobilia in eodem vestigio maneant, naturae vis, quae nunquam quiescit, in tabo et putredine cernetur, atque ipsa morte multa adulterina et parasitica producet, quae in vivo corpore nunquam locum habuissent; neque Lacedaemonii hujus fortunae expertes fuerunt, qui eodem tempore, quo educationem suam ab omni exterorum profectuum contagione prohibuerunt, ipsosque cives, qui illius in partem venire non potuissent, optimo civitatis jure excluserunt, ab aequabilitate a Lycurgo constituta ad paucorum imperium delati avaritiae, crudelitati, perfidiae indulserunt, easdemque in regiones, unde nihil sibi bonarum artium advehi voluerunt, navarchos et harmostas, nova magistratuum genera, emiserunt, quos jam solam morum corruptelam sine culturae fructibus domum referre consentaneum erat.

III.

DISPUTATIO

DE

CONDICIONE ATQUE ORIGINE EORUM,

QUI

HOMOEI APUD LACEDAEMONIOS

APPELLATI SUNT,

SCRIPTA

AUSPICANDO MUNERI

PROFESSORIS PHILOLOGIAE ORDINARII

A. MDCCCXXXII.

I.

Quae omnino generis humani vel indoles vel infirmitas est, ut laeta quam tristia, florentia quam caduca studiis suis prosequi malit, eadem nescio quomodo in antiquitatum quoque Graecarum et Romanarum tractatione apparet, quum eorum saeculorum memoriam, quibus hae gentes quum rebus gestis tum institutis civilibus morumque disciplina valebant, a multis egregiisque auctoribus et antiquitus traditum et nostra aetata versatam videamus, insequentia contra tempora, quibus magis magisque decrescebant et corrumpebantur, vix a singulis accuratius tractata norimus. Quanquam de ipsa historia rerumque gestarum narratione hoc loco non agimus; antiquitatum, quae proprio nomine appellantur, doctrinae ea excusatio in promtu est, quod in illa singulas tantum singularum rerum publicarum descriptiones easque justas omnibusque numeris absolutas exhibendas esse plerique putabant, unde fiebat ut, quum integris tantum populorum rebus eam legum morumque omnium vim invenirent, quae exprimendae formae alicui perfectae et undequaque plenae idonea esset, degenerantibus per rerum vicissitudines civitatibus satis haberent depravationis documenta referre, de interna rerum condicione causisque corruptionis remotioribus minus curiosi,

nedum ut ipsius status publici, qualis illis quoque temporibus fuisset, justas descriptiones pollicerentur. At vero nobis, qui hac quoque in disciplina historica via procedendum rati nullum tempus prae alio negligendum ducimus, non intra unius alicujus status contemplationem consistendum, sed ita pari cum historia gradu eundum esse videtur, ut neque illud vinculum, quod inter externas internasque rerum publicarum mutationes intercedit arctissimum, unquam abrumpatur, et ipsius quoque rerum constitutionis, sicut historico externa nota esse debet, ita nobis internae, quantum fieri possit, quovis temporis momento tota cum causis suis ratio appareat. Neque alio modo ab illo errorum genere cavere nobis poterimus, unde dici non potest quanta accuratior historiae cognitio detrimenta non recentiori modo aetate sed apud multos quoque antiquos scriptores acceperit, qui haud raro, manentibus etiam per interni status conversiones antiquis magistratuum nominibus ipsaque externa rei publicae forma, similitudinis specie seducti, quum nihil omnino mutatum esse easdemque munerum et ordinum rationes mansisse arbitrarentur, diversissima inter se miscuerunt, et si quid tamen aliter atque antea fieri videbant, degenerationis fontem in hominum tantum pravitate morumque corruptione quaerebant. Cujusmodi confusionis temporum distinctione remotae luculentum specimen praebebunt ea, quae quum ab aliis tum a nobis ipsis compluribus locis de Areopagi historia disputata sunt, neque alia praeterea in ipsa Attica antiquitate desunt cognominum magistratuum exempla a doctissimis quoque viris ne-
2 glecta; in Romana autem re publica describenda quantas ii turbas

dederint, qui quum patrum, equitum, clientum nomina antiquissimis temporibus eadem ac recentioribus invenirent, illorum rationes ad suae aetatis normam existimarunt, Niebuhrii imprimis diligentia ac sagacitate ex reconditiorum fontium vestigiis ita demonstratum est, ut jam mirari subeat, quo pacto tot saeculorum oculi caligare in re tam manifesta potuerint. Omnium tamen maxime Spartanarum rerum notitia simili quadam confusione laborare videtur, ea tantum differentia, quod quum Romae posteriorum temporum luce priora corrumperentur, in Lacedaemoniis primordiorum reipublicae splendor justae sequentium saeculorum existimationi diutissime offecit. Hos enim quum per septingentos amplius annos unis moribus et nunquam mutatis legibus vixisse fama celebratum esset, satis plerumque duxerunt viri docti ad historiam eorum dijudicandam, si Lycurgi leges ab eoque propositam rei publicae descriptionem recte cognovissent; eas autem depravationes, quas et aliunde et ex Agidis vita apud Plutarchum cognoscimus, ex morum tantum corruptione legumque neglectu derivarunt; obliti illi, vix ulla legum vulgo spretarum exempla in historia exstare, quin prima vestigia ipsarum legum auctoritate niti viderentur earumque praetextu velut obvelata fuerint, neque ullas leges tam sanctas tamque perfectas esse, ut corruptionis semina non in se gerant prius quam extrinsecus recipiant. Ego certe non illud modo historici esse duco, ut quibus externis causis leges afflictae sint civitatesque interierint ostendat, sed ut altius re repetita ex ipsa rerum humanarum fragilitate demonstret, quo pacto multo ante quam ruina appareret, sensim sensimque labe-

factato variisque casibus conflictato atque ipso situ affecto pristino rei publicae vigore, extraneo hosti ansa praebita recipiendoque exitio velut janua patefacta sit. Quamvis enim diligenter ac sollerter et fundamenta jacta et tectum aedificio impositum sit, ne qui humores aliaeve res noxiae intrare extrinsecus possint, nunquam tamen ita torpere temporis edacitatem dixerim, ut non ipsi materiae paulatim vitia innascantur, rimasque ducat ac putredinem contrahat, quae sive sarciantur, multa novari oportebit, sive pristinae firmitatis fiducia negligantur, eo atrociorem ad extremum ruinam parabunt. Immo quo diutius conservandae externae speciei reipublicae alicujus forma comparata sit, eo majorem labente tempore institutorum omnium discrepantiam oriri necesse est, non dicam cum humanorum ingeniorum mobilitate — haec enim, ut Spartae factum videmus, per disciplinae severitatem diu coërceri inque eodem vestigio retineri possunt — sed cum ipsa rerum natura, quae longe aliis legibus usa per longam annorum seriem tot casuum varietates atque vicissitudines praebet, quot praesagire mente ac prospicere nemo legum lator possit; quibus licet singulis prona ex ipsis legibus medicina videatur, universis tamen postremo adeo immutabitur prisca civitatis indoles, ut quamvis aequales vel minimum se a veteribus institutis descivisse negent, ipsum tamen conditorem vix opus suom agniturum esse exspectandum sit. Id quod Lacedaemone quoque factum esse facile intelligemus, ubi eam rei publicae constitutionem, qualem Xenophontem potissimum ante oculos habuisse apparet, cum illa Lycurgi descriptione, quam imprimis Plutarchus ex antiquiorum

temporum memoria expressit, accuratius comparaverimus; ut Aristotelem taceam, qui quum perculsam demum morum pravitate publicisque calamitatibus civitatem viderit, minus idoneus testis videri possit, ubi de vestigiis corruptelae per ipsum florentem rei publicae statum indagandis agitur; quanquam ea fide atque auctoritate est, ut quae de singulis rebus refert pro certis argumentis usurpari possint. Multo tamen aptior nostros in usus Xenophon est, dum et ipse, externa specie seductus, eandem rei publicae formam manere, hominum tantum ingenia a prisca severitate declinasse arbitratur; cui si quando ipsi inscio et invito rerum a Lycurgi rationibus prorsus alienarum mentio excidit, liquido apparebit, salvis quoque legibus ipsisque adeo ducibus decursu temporis diversissimam fieri civitatis indolem potuisse. Primum igitur diversitatis illius vestigia accuratius persequemur in ejusque naturam atque causas inquiremus; deinde quo pacto ex ipsis Lycurgi legibus originem traxerit, quantum per temporis spatiique angustias licebit, paucis indicare conabimur.

II.

Duae potissimum res sunt apud Xenophontem, quae male habere a Plutarchi lectione recentem debeant, ephororum potestas et Homoeorum quorundam mentio, qui soli et disciplinae a Lycurgo institutae et rei publicae administrationis in partem venerint; praeterea et *parva*, quam appellat, *concio* [1]) et nescio qui *evocati* [2]),

1) Hellen. III. 3. 8.
2) Ἔκκλητοι, ibid. II. 4. 38 etc. Cf. Sturz. lex. Xenoph. T. II, p. 102.

quibuscum ephori gravissimas res communnicasse videntur. Quanquam de ephoris, quoniam trita res est et a multis agitata, tacere hoc loco praestat; quorum adeo potestas, licet a Lycurgi republica prorsus aliena, tamen tam mature orta est adeoque cum tota illius conformatione coaluit, ut vel stabiliendae ac firmandae inservire videretur [3]), donec ingruente jam aliis de causis exitio, sicut in corporis quoque vitiis callo cicatricibusque obductis fieri videmus, quasi recrudesceret labantemque civitatem prorsus impelleret. Sed hac de re satis jam et ab aliis et a nobis ipsis alio loco disputatum est; nunc data opera de Homoeorum condicione atque origine agemus, quorum praecipui honores quomodo aequalitati illi, quam Lycurgus inter omnes Spartanos instituisse fertur, conveniant, merito aliquis miretur, neque opinor satis adhuc explicatum est a viris doctis, qui quamvis recte perspecta eorum natura de origine tamen causisque discriminis aut omnino tacuerunt aut leviter tantum atque ita disseruerunt, ut neque omnia inter se composuisse nec verum difficultatis fontem intellexisse viderentur. Et primum quidem illud certum est, antiquum illud discrimen non fuisse [4]). Non est hujus loci, de Plutarchi fide in vita Lycurgi conspicua disserere; quae licet in aliis nonnullis minus auctoritatis habeat, hoc tamen et aliunde constat et re ipsa comprobatur, quum jam ab initio omnes Spartani, hoc est Dorienses, pari

3) Xenoph. Rep. Lac. VIII. 3; Aristot. Politic. II. 6. 14; Plut. V. Lycurg. c. 29 extr.

4) Negarunt hoc posterius et alii et Lachmannus, cui pluribus occurri in Jahrbb. f. wissensch. Kritik 1837. T. II, p. 208 - 264; mecum faciunt Bernhardyus in Allg. Lit. Zeit. 1837, Juni p. 239 sqq., Goellerus ad Thucyd. I. 67, Schoemannus de ecclesiis Lacedaemoniorum, Gryphisw. 1836. 4.

et aequabili jure uterentur, veteres tantum incolae, utpote bello victi, deteriore loco et condicione essent, hanc juris descriptionem a Lycurgo non modo non imminutam, sed etiam privata quadam bonorum aequalitate insigniter auctam firmatamque esse [5]. Agris enim aequabiliter divisis inaequalitas civilis nulla cogitari potuit; aristocratiae, quae vulgo appellatur, patriciarumque gentium praeter regiam nulla apud Spartanos mentio, nec si tales post Lycurgum certe substitissent, distributio bonorum aequalis fieri potuisset; munera tantum quaedam singularia praeter regiam stirpem aliis quoque nonnullis familiis ut Talthybiadis [6] hereditario jure competebant, quae tamen quum nullo inter se nexu civili conjungerentur, neque ad ipsam rei publicae administrationem quidquam attinerent, adeoque ne Dorica quidem stirpe oriundae essent, cum Romanorum aliorumque populorum patriciis comparari nullo modo possunt, neque magis quam apud Athenienses Cerycum Eumolpidarumque avita sacerdotia obstare debent, quo minus summam inter ipsos Spartanos aequalitatem natura pariter ac legibus constitutam fuisse statuamus. Neque qui interdum commemorantur equites, in bonorum omnium aequalitate pro certo quodam civium ordine haberi possunt. Quod propter Stuhrium potissimum moneo, qui licet Homoeorum originem Lycurgo posteriorem esse recte intellexerit, non solum cum equitibus

5) Plat. legg. III. p. 684; Polyb. VI. 45. 3.

6) Herod. VII 134: *εἰσὶ δὲ καὶ ἀπόγονοι Ταλθυβίου, Ταλθυβιάδαι καλεόμενοι, τοῖσι αἱ κηρυκηΐαι αἱ ἐκ Σπάρτης πᾶσαι γέρας δέδονται*: cf. VI, 60, ubi etiam alia negotia hereditaria commemorantur.

illos confudit, quos ex antiquissima Spartanorum aetate repetendos esse Herodoti narratio de Licha et ἀγαθοεργοῖς docet [7]), sed omnino miras in ea causa turbas edidit, dum eosdem, quos cum Hippobotis Chalcidensium aliarumque gentium nobilitate equestri comparavit, solis libertinis opposuit omnesque illos septingentos, qui Agidis tempore ex antiqua civium prosapie reliqui fuisse dicuntur, vel in summa sexcentorum ex his egestate equitum pariter atque Homoeorum nomine comprehendit [8]). Sed de his posterius disputandi locus erit; Hippobotis Chalcidensium opulentis [9]) Lacedaemoniorum equites comparari non posse vel inde apparet, quod illorum auctoritas et potentia ex equis pependit, quos quum soli alere suis sumtibus possent, summam tenebant in re publica; cujus praecipuae vires in equitatu constabant [10]); Lacedaemone autem nullo tempore in honore

---

7) Herod. I. 67.

8) Feodor Eggo der Untergang der Naturstaaten, Berl. 1812. 8, p. 117: *Nach allen vorhandenen Zeugnissen ist es nämlich nothwendig anzunehmen, dass der in späteren Zeiten gefundene Gegensatz in den Rechten spartanischer Bürger späterer und zwar nachlykurgischer Bildung sey. Ursprünglich sollten allen Spartiaten vollkommen gleiche Rechte verliehen seyn; und dennoch findet sich in folgender Zeit ein Volk, dem keineswegs die Gleichheit der Rechte zugestanden war. Dies leztere war ein solches, das als Mothaken, Neodamoden, oder unter einem anderen Namen nicht in ein eigenes Geschlecht aufgenommen war, noch vermögend sich heroischer Vorfahren zu rühmen; während dagegen die ersteren, die sich nicht blos durch Tugend von den andern unterschieden, zu den* **G l e i c h e n** *gezählt wurden und ihre Abstammung von den Heroen aus den Zeiten des Herokles abzuleiten wussten. Diese ächten und eigentlichen Spartaner, deren es zur Zeit des unglücklichen Agis nur siebenhundert gab, und die ohne Zweifel diejenigen sind, die wie die Vornehmen der Chalcidier unter dem Namen der* **R i t t e r** *vorkommen, zerfielen in vier Geschlechter etc.*

9) Herod. V. 77: *οἱ δὲ ἱπποβόται ἐκαλέοντο οἱ παχέες τῶν Χαλκιδέων* cf. Strabo X, p. 447; Plut. V. Pericl. c. 23.

10) Aristot. Politic. IV. 3. 2: *ἐπὶ τῶν ἀρχαίων χρόνων ὅσαις πόλεσιν ἐν τοῖς ἵπποις ἡ δύ-*

fuisse equitatum constat [11]), ut taceam tantis sumtibus, quantos equorum nutricatio ex communi Graecorum sententia requisivit [12]), tam arctis finibus circumscriptam redituum aequalitatem sufficere non potuisse. Sero demum jam invalescente bonorum inaequalitate Spartanorum quoque nonnullos equorum apparatu magnificentiae laudem quaesivisse legimus [13]), sed quos Olympiam ad ludos mitterent, neque omnino, ut videtur, bellicis usibus destinatos; pessime enim instructas fuisse illa ipsa aetate Lacedaemoniorum copias equestres Xenophon testatur [14]), quibusque sumtus praebuisse ditiores idem refert, haud scio an publici fuerint equi, ut triremes, quas non Athenis modo verum etiam Spartae publice acceptas trierarchis servandas et sarciendas fuisse ex Thucydidis narratione de Brasida [15]) equidem collegerim. Eos certe, qui antiquitus equites apud Lacedaemonios appellabantur, equos non aluisse claris verbis Strabo testatur [16]); quae quum selecta ex omni juventute manus esset ad

---

ναμις ἦν, ὀλιγαρχίαι παρὰ τούτοις ἦσαν· ἐχρῶντο δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους ἵπποις πρὸς τοὺς ἀστυγείτονας: cf. IV. 10. 10.

11) Cf. Larcher *de l'ordre équestre chez les Lacédémoniens* in Mem. de l'Acad. d. Inscr. T. XLVIII, p. 96; Müller. Dor. T. II, p. 241.

12) Spanhem. ad Aristoph. Nubb. v. 13.

13) Plut. V. Ages. c. 20: *οὐ μὴν ἀλλ' ὁρῶν ἐνίους τῶν πολιτῶν ἀπὸ ἱπποτροφίας δοκοῦντας εἶναί τινας καὶ μεγάλα φρονοῦντας ἔπεισε τὴν ἀδελφὴν Κυνίσκαν ἅρμα καθεῖσαν Ὀλυμπίασιν ἀγωνίσασθαι, βουλόμενος ἐνδείξασθαι τοῖς Ἕλλησιν, ὡς οὐδεμιᾶς ἐστὶν ἀρετῆς ἀλλὰ πλούτου καὶ δαπάνης ἡ νίκη.*

14) Xenoph. Hellen. VI. 4. 10: *τοῖς δὲ Λακεδαιμονίοις κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον πονηρότατον ἦν τὸ ἱππικόν.*

15) Thucyd. IV. 11.

16) Strabo X, p. 482: *πλὴν ὅτι τοῖς ἐν Κρήτῃ ἱππέας καὶ ἵππους κεκτῆσθαι συμβέβηκεν, ἐξ οὗ τεκμαίρεται πρεσβυτέραν εἶναι τῶν ἐν Κρήτῃ ἱππέων τὴν ἀρχήν· σώζειν γὰρ τὴν ἐτυμότητα τῆς προσηγορίας· τοὺς δὲ μὴ ἱπποτροφεῖν.*

regum custodiam magistratuumque mandata exsequenda, quales Romae antiquissimis temporibus Celeres fuisse accepimus [17]), si quando equis indigerent, a publico sumere necesse erat. Eligendorum autem modum descripsit Xenophon [18]), unde quum neque hereditarium neque perpetuum eorum munus fuisse pateat, liquido apparet, equitum appellationem, sive honoris illud sive aetatis, ut vult Eustathius [19]), nomen fuerit, nihil cum Homoeis commune habuisse, quorum distinctionem et a parentibus ad filios transiisse et a tenera adolescentia initium cepisse vel unus Xenephontis locus docere potest [20]). Lectos tantum esse ex Homoeorum numero equites concesserim, quum non solum praefecti eorum [21]), quos nuper jam significavi eosdem cum tribus illis Homoeis ad regium comitatum pertinentibus [22]) fuisse videri [23]), et qui ex ipsis sumebantur ἀγαθοεργοί [24]) ἀρχῆς nomine insigniantur [25]), sed etiam ipsi cum Cretensium equi-

17) Dionys. Hal. II. 13: *τοῦτό μοι δοκεῖ παρὰ Λακεδαιμονίων μετενέγκασθαι τὸ ἔθος, μαθὼν ὅτι καὶ παρ' ἐκείνοις οἱ γενναιότατοι τῶν νέων φύλακες ἦσαν τῶν βασιλέων, οἷς ἐχρῶντο κατὰ τοὺς πολέμους παρασπισταῖς, ἱππεῦσί τε οὖσι καὶ πεζοῖς:* cf Thucyd. V. 72.

18) Xenoph. Rep. Lac. IV. 3: *αἱροῦνται τοίνυν αὐτῶν οἱ ἔφοροι ἐκ τῶν ἀκμαζόντων τρεῖς ἄνδρας· οὗτοι δὲ ἱππαγρέται καλοῦνται· τούτων δ' ἕκαστος ἄνδρας ἑκατὸν καταλέγει:* ubi recte intpp. comparant narrationem de Paedareto apud Plut. Apophth. Lac. p. 238.

19) Eustath. ad Iliad. VIII, p. 727: *εἶτα μεῖραξ καὶ νεανίσκος καὶ νεανίας ὁ αὐτός· Λάκωνες δὲ τούτους ἱππεῖς ἐκάλουν καὶ τοὺς προεστῶτας αὐτῶν ἱππαγρέτας.*

20) Anab. IV. 6. 14: *ὑμᾶς γὰρ ἔγωγε ἀκούω τοὺς Λακεδαιμονίους, ὅσοι ἐστὲ τῶν ὁμοίων, εὐθὺς ἐκ παίδων κλέπτειν μελετᾶν.*

21) Xenoph. Hell. III. 3. 9 et Hesych. T. II, p. 56 c. intpp.

22) Xenoph. Rep. Lac. XIII. 1.

23) Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. §. 29, n. 15, ubi omnino plura de Lacedaemoniorum equitatu.

24) Ruhnken. ad Tim. Lex. Platon. p. 4.

25) Cf. Bekk. Anecdd. p. 333. 31: *ἔστι δὲ καὶ ἀρχή τις ἐν Λακεδαίμονι οἱ ἀγαθοεργοί.*

tibus comparentur, quos Ephorus apud Strabonem protinus magistratibus annumerat [26]), adeoque consilii publici instar videri possint, siquidem personatus Archytas apud Stobaeum, postquam praestantissimam rei publicae formam mixtam ex omnibus esse docuit, Spartae monarchiam in regibus, aristocratiam in senatu, oligarchiam in ephoris, democratiam vero in hippagretis equitibusque, quos *κόρους* appellat, ponit [27]); nobilitatem tamen equestrem apud Spartanos nullam fuisse satis demonstrasse mihi videor. Omnino sic habendum est, in plerisque Graecorum civitatibus, etsi antiquissimo aevo familiae nonnullae ipsa stirpium generositate prae reliquis civibus in re publica valerent, eodem semper opum quoque praestantiam latasque agrorum possessiones accessisse; quibus aut temporum vicissitudine imminutis, aut aliorum minus nobilium labore et industria aequatis vel superatis, priscam illam aristocratiam ipsa rei necessitate coactam vel in democratiam vel in illud oligarchiae genus, quod a censu (*ἀπὸ τιμημάτων*) nomen traxit, transiisse videmus; ita ut vere contendi possit, inaequalitatem juris civilis apud Graecos nunquam sine bonorum quoque inaequalitate fuisse, nec, licet raro tantum juris aequatio bonorum quoque aequalem distributionem secum attulerit, cum bonorum omnium aequalitate juris inter cives differentiam unquam conjunctam esse potuisse. Homoeorum autem appellationem, quam-

26) Hoeck. Kreta T. III, p 58.

27) Stob. Serm. XLIII. 134: *τοῖς μὲν γὰρ βασιλεῦσι τοὶ ἔφοροι ἀντικάθηνται, τούτοις δ' οἱ γέροντες, μέσοι δὲ οἱ κόροι καὶ ἱππαγρέται, ἐφ' ὃ γὰρ ἂν ῥέψωντι τοὶ πλεονεκτέοντες τῶν ἀρχόντων, οὗτοι τοῖς ἄλλοις ὑποτίθενται.*

vis verbo aequalitatem significet, re vera inaequalitatem indicare clarum est; qui nisi alios sibi impares oppositos habuissent, non appareret, cur juris inter se aequalitatem peculiari nomine declarare necessarium duxissent. Nec Lacedaemoniorum tantum, sed communem Graecorum omnium sermonem hoc vocabulo uti ad optimatium factionem designandam videmus, erravitque Palmerius, quum peculiarem eam vocem Lacedaemoniis esse neque alibi in hoc significatu occurrere perhiberet [28]. Zeunius [29]) quidem nollem huc retulisset Xenophontis locum de Rep. Ath. I. 6: εἰ μὲν γὰρ οἱ χρηστοὶ ἔλεγον καὶ ἐβουλεύοντο, τοῖς ὁμοίοις σφίσιν αὐτοῖς ἦν ἀγαθά, τοῖς δὲ δημοτικοῖς οὐκ ἀγαθά: adjuncto enim dativo σφίσιν αὐτοῖς vulgarem tantum significationem habere potest, ut sit: *sui similibus*, atque ita statim in sequentibus verbis ad plebem quoque refertur: νῦν δὲ λέγων ὁ βουλόμενος ἀναστὰς ἄνθρωπος πονηρὸς ἐξευρίσκει τὸ ἀγαθὸν αὐτῷ τε καὶ τοῖς ὁμοίοις αὐτῷ: at insignissimus Aristotelis locus est, unde et vis et origo nominis appareat, Politic. V. 7. 3: ὃ γὰρ ἐπὶ τοῦ πλήθους ζητοῦσιν οἱ δημοτικοὶ, τὸ ἴσον, τοῦτο ἐπὶ τῶν ὁμοίων οὐ μόνον δίκαιον ἀλλὰ καὶ συμφέρον ἐστί: et mox §. 4: ἔστι γὰρ ὥσπερ δῆμος ἤδη οἱ ὅμοιοι, διὸ

---

28) Exercitt. in auct. gr. p. 69. Adstipulatur quidem Palmerio nuperrime Haasius ad Xenoph. Rep. Lac. p. 320, Aristoteli licuisse arguens, quum non de certa aliqua republica ageret, e quavis petere optimatium nomen; at, opinor, etiamsi omnia quae in reliquae Graeciae optimates etiam in Spartanorum Homoeos convenerunt, non omnia, quae his propria erant, idcirco etiam reliquis competebant; quodsi peculiare Spartanis Homoeorum nomen fuisset, simul etiam omnia, quae hi soli habebant, ad omnes transtulisset; ut omittam tam proclivem illum nominis usum esse, ut profecto non singulari aliquo populo opus fuerit ad eum excogitandum.

29) Ad Xenoph. de Rep. Lac. XIII. 1.

καὶ ἐν τούτοις ἐγγίγνονται δημαγωγοὶ πολλάκις: quamvis enim a plebe diversi optimates inter se eadem qua cives in statu populari aequalitate vivunt atque iisdem quibus democratia vitiis laborant [30]. Nec rursus hoc tantum nomine, sed aliis quoque, quibus illam factionem apud Graecos appellari constat, Aristotelem in dijudicanda Spartanorum re publica uti iisque *δῆμον* opponere videmus [31], eandemque causam esse *τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν*, ex quibus Plutarchus paedonomum captum esse narrat [32], collato Xenophontis loco patet de Rep. Lac. II. 2: *ἄνδρα ἐπέστησε κρατεῖν αὐτῶν, ἐξ ὧνπερ αἱ μέγισται ἀρχαὶ καθίστανται, ὃς δὴ καὶ παιδονόμος καλεῖται.* Clarissima igitur oligarchiae Lacedaemone vestigia apparent; quae si quidem inter ipsos Spartanos obtinuit, nonnisi post Lycurgum orta neque a bonorum inaequalitate disjuncta esse poterat; ea tamen antequam inquiramus quomodo salvis Lycurgi legibus neque ulla rei publicae conversione facta exstiterit, de ipsis Homoeis paulo accuratius disputandum erit, ut quatenus a communi Spartanorum diversi fuerint manifestum fiat.

III.

Neque enim tacere hoc loco licet, fuisse qui Homoeorum appellatione omnes omnino Spartanos comprehendi censerent quodque

30) Qua de re plura ex Aristotele attuli in Lehrbuch cit. §. 58, n. 8–10.

31) Cf Polit. II. 6. 15: *οἱ μὲν οὖν βασιλεῖς διὰ τὴν αὐτῶν τιμὴν οὕτως ἔχουσιν, οἱ δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ διὰ τὴν γερουσίαν, ὁ δὲ δῆμος διὰ τὴν ἐφορίαν:* V. 6. 7: *ἔτι διὰ τὸ πάσας τὰς ἀριστοκρατικὰς πολιτείας ὀλιγαρχικὰς εἶναι μᾶλλον πλεονεκτοῦσιν οἱ γνώριμοι· οἷον καὶ ἐν Λακεδαίμονι εἰς ὀλίγους αἱ οὐσίαι ἔρχονται καὶ ἔξεστι ποιεῖν ὅ τι ἂν θέλωσι τοῖς γνωρίμοις μᾶλλον καὶ κηδεύειν ὅτῳ θέλουσι.*

32) Plut. V. Lycurg. c. 17.

eo nomine indicari modo significavimus discrimen civile nihil aliud esse statuerent, nisi notissimam illam inter Dorienses victores veteresque Laconicae incolas differentiam, qua illi soli *τὴν πόλιν* cumque ea summam rei publicae tenerent, hi vero tanquam *περίοικοι* vectigales agros colerent. Cui opinioni favere possit ejus vocabuli usus apud Aristot. Polit. VII. 7. 2: *ἡ δὲ πόλις κοινωνία ἐστὶ τῶν ὁμοίων, ἕνεκεν δὲ ζωῆς τῆς ἐνδεχομένης ἀρίστης*: recte enim nuper observatum est, eundem locum, quem apud Athenienses universum populum, apud Dorienses urbanam plebem tenere [33]), atque ita Levesquius, postquam Isocratem secutus Doriensium factionem sive Spartanos reliquam multitudinem in servitutem redegisse arguit [34]), sibi solis illos libertatem atque aequalitatem reservasse eosque fuisse narrat, qui propter democratiam inter ipsos obtinentem Homoeorum nomine appellati fuerint [35]). Quanquam miror in hacc Levesquium potissimum incidisse, qui perioecis nihil juris in Lacedaemoniorum republica competiisse recte intellexit; multo minus mirarer, si a Cragio vel aliquo ejus sectatore profectum esset, qui quum magnam concionem ad omnes Laconicae incolas, qui quidem liberi essent, pertinuisse, parvam, quam equidem solis Homoeis assignaverim, ipsorum

---

33) Hoeck. Kreta T. III, p. 79: *was in Athen und bei den Ioniern überhaupt die allgemeine Volksmacht, δῆμος, ist, das kann bei den Doriern nur die πόλις, die städtische Bürgergewalt seyn, die sich in der Ekklesia ausspricht.*

34) Cf. disp. de statu Laced. ante Lycurgum p. 35.

35) Mem. de l'Instit. Sc. mor. et polit. T. III, p. 349 et iterum in libro qui inscribitur Etudes de l'histoire ancienne T. II, p. 293: *les hommes de cette faction devinrent ceux qu'on appella les Spartiates par excellence et qu'on appella aussi les Egaux, parcequ'ils jouissoient entr'eux de l'égalité* etc.

Spartanorum fuisse censerent [36]), haud difficulter eo quoque delabi potuerunt, ut vel ephoros ex perioecos sumtos esse statuerent. Scilicet ephori quum Aristotele teste [37]) non ut senatores ex optimatium tantum numero sed ex universa plebe legerentur, non intelligo quomodo non ex perioecis quoque creari potuerint, si quidem optimatium nomine omnes Spartani comprehendebantur! Aristotelis enim καλοὺς κἀγαθοὺς eosdem esse cum Homoeis et res ipsa docet et infra clarius apparebit; quod autem ephoros quoque ex Homoeis tantum creatos esse vult Pastoretus [38]), ita tantum verum est, si ad antiquissimum tempus spectamus, quo pari omnes jure fruebantur, neque ipsum aliter intellexisse inde apparet, quod postea per abusum contrarium factum esse concedit [39]). Qua de re licet nos paulo aliter sentiamus, tamen nominis potius quam rei controversia est; Aristotelis δῆμον non Spartanis sed Homoeis opponi etiam Pastoretus recte vidit. Apud Demosthenem quidem [40]) facile largiar τοὺς πολλοὺς perioecos maxime intelligendos esse; δήμου autem nomine apud Dorienses Doricae tantum stirpis homines recte appel-

36) Cf. Crag. de rep. Lac. I. 7; Barthélemy voy. d'Apach. ch. 45, T. IV, p. 99; Pastoret hist. de la legisl. T. V, p. 276, Manso Spart. T. I, P. 1, p. 92; Tittmann Darst. d. gr. Staatsverf. p. 89; qua de re satis dictum est in Lehrbuch cit. §. 25, not. 10.

37) Politic. II. 6. 15: *οἱ δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ διὰ τὴν γερουσίαν . . . ὁ δὲ δῆμος διὰ τὴν ἐφορίαν, καθίσταται γὰρ ἐξ ἁπάντων*: cf. IV. 7. 5: *ἔτι τὸ δύο τὰς μεγίστας ἀρχὰς τὴν μὲν αἱρεῖσθαι τὸν δῆμον, τῆς δὲ μετέχειν· τοὺς μὲν γὰρ γέροντας αἱροῦνται, τῆς δὲ ἐφορείας μετέχουσι.*

38) Hist. de la legisl. T. V, p. 270.

39) Ibid. p. 260: *on avait donc commencé à violer cette ancienne loi* etc.

40) Demosth. adv. Leptin. §. 107: *ἐπειδὰν τις εἰς τὴν καλουμένην γερουσίαν ἐγκριθῇ παρασχὼν ἑαυτὸν οἷον χρή, δεσπότης ἐστὶ τῶν πολλῶν· ἐκεῖ μὲν γάρ ἐστι τῆς ἀρετῆς ἆθλον τῆς πολιτείας κυρίῳ γενέσθαι μετὰ τῶν ὁμοίων.*

lari cum Hoeckio contendo [41]). Quod si vel Homoeorum appellatione omnes Spartanos comprehendamus, juris tamen aequalitatem inter ipsos turbatam fuisse negari nequit, neque negavit Levesquius, quum ita disserat p. 363: *mais quelle étoit l'égalité de ceux qui jouissaient des droits de citoyens, et qui s'appellaient entr' eux les Egaux? Je vais parler d'une inégalité atroce* etc. At ne dicam ridiculam esse inaequalitatem inter aequales, hoc potissimum obstat, quod sic illam aequalitatem eodem tempore nomina insignitam, re turbatam esse oporteret. Etenim vix unum hujus appellationis vestigium ante Xenophontis tempus exstat; quae si re vera ad differentiam illam cum ipsa Spartanorum re publica ortam pertineret, mirum foret quum antiquiorum scriptorum tum Strabonis, Plutarchi, quique praeterea antiquos auctores secuti rerum Spartanarum primordia tradiderunt, silentium; ut taceam vocem, quae solam juris inter cives inaequalitatem significaret, minus aptam videri ad indicandam diversitatem, quae ipsa stirpium disjunctione niteretur. Quem enim Wachsmuthius [42]) huc refert Thucydides locum V, 15: *ἦσαν γὰρ οἱ Σπαρτιᾶται αὐτῶν πρῶτοι καὶ ὁμοίως σφίσι συγγενεῖς*, ab hoc vocabuli usu prorsus alienus est, quum nihil aliud sibi velit Thucydides, nisi eodem ardore, quo alioquin consanguinei redimendis ex captivitate necessariis suis studeant, omnes Spartanos, quippe pari inter se

41) Kreta T. III, p. 79, n. q: *aber auf jeden Fall gehörten zu diesem δῆμος nur Menschen dorischen Geschlechts, und in sofern ist der Ausdruck entsprechend dem nachfolgenden Begriff der πόλις:* cf. diss. de statu Laced. ante Lycurgum p. 35.

42) Hell. Alterth. T. 1, P. 2, p. 210.

cognationis vinculo conjunctos, eorum qui in Sphacteria capti essent, libertatem expetiisse [43]); Parthenias autem Tarenti conditores quod Aristoteles ἐκ τῶν ὁμοίων fuisse ait [44]), etiam si quis ex seriori loquendi usu ad illam aetatem translatum esse neget, ingenia certe atque institutionem potius quam stirpis aliquam praestantiam spectare vel ea ex re apparet, quod Parthenias, si optimos auctores sequimur, paterno genere peregrinos non Spartanos fuisse constat. Omnes igitur, quotquot recte huc trahi possunt loci de Homoeis, praeter unum Demosthenis, quem modo laudavi, Xenophontis sunt; quos quia jam Schneiderus collegit ad Hellen. III. 3. 5; hic quidem repetere nolo; suo quisque loco accuratius tractabitur; illud tantum in universum monebo, nullum esse quo perioecis servisve claris verbis Homoei opponantur; huic distinctioni Σπαρτιατῶν potius nomen inservire; Homoeorum ita tantum ubique mentionem injici, ut pleni

---

43) Goellerus ad Thucyd. T. II, p. 18 haec interpretationem impugnat, cum verborum sensum praeferens, ut qui in Sphacteria capti essent Spartani, quippe ex omnibus lochis sorte ducti, *sui quisque lochi militibus* cognati fuerint; at hoc quomodo in solo pronomine σφίσι inesse propter IV. 8 credere potuerit, merito Poppo sibi liquere negavit, ut omittam in lochis non magis quam in syssitiis earundem gentium homines conjunctos fuisse videri; cf. de statu Laced. p. 47. Omnino Goellerus sententiam meam non satis cepisse videtur, dum hoc mihi objicit, *inter se* Graece non esse σφίσι sed ἐν σφίσι sive ἐν ἑαυτοῖς: verba enim et ipse ita interpretor, ut captivi *ipsis* hoc est *Spartanis* pariter omnes cognati fuerint; sed hoc ipsum ideo tantum dici poterat, quia apud illos omnes cives pariter *inter se* cognati habebantur. Bekkeri autem conjectura ὁμοίως quomodo sine participio ὄντες stare possit, equidem non intelligo.

44) Politic. V. 6. 1; cf. de novis Laced. post Lycurgum instit. p. 61 sq. Miror autem Schömannum de eccl. Laced. p. 18 verba illa interpretari *ex Homoeis procreatos*, quod neque historiae nec linguae legibus respondet, si quidem etiam si civium non servorum filios fuisse statueremus, non ἐκ τῶν ὁμοίων sed ἐξ ὁμοίων tantum procreati dicendi forent.

juris cives significentur, quo licet Lycurgus omnes Spartanos aequaliter uti voluerit, tamen posteriori quoque tempore usos esse omnes inde non apparet. Sic Demosthenes: *ἐκεῖ μὲν γὰρ*, inquit, *ἐστὶ τῆς ἀρετῆς ἆθλον, τῆς πολιτείας κυρίῳ γενέσθαι μετὰ τῶν ὁμοίων*, et Xenophon de Rep. Lac. X. 7: *εἰ δέ τις ἀποδειλιάσειε τοῦ τὰ νόμιμα διαπονεῖσθαι, τοῦτον ἐκεῖ ἀπέδειξε μηδὲ νομίζεσθαι ἔτι τῶν ὁμοίων εἶναι*: nec propter ignaviam tantum accidisse, ut Homoeorum aliquis numero eximeretur, insignissimus ille de Cinadone locus docet [45]), unde merito omnes, quicunque hanc rem illustrare aggressi sunt, praecipuam disputandi materiam sumserunt. Jure enim quaesitum est, Cinado, quum inter Homoeos non esset, qua condicione fuerit, neque nobis ea quaestio detrectanda est, quae licet ex universae tantum rei consideratione lucem sperare possit, multo tamen firmius nos per singularis exempli vestigia ad qualemcunque finem perducet. Sed ne quid praeteriisse videamur, verbo monendum est, ne quis in illo Xenophontis loco *ὁμοίους* intelligat ipsos magistratus; quae licet opinio non tantum Aristotelis verbis, ubi de Cinadone agit [46]), sed etiam diserto scholiastae Demosthenici testimonio [47]) confirmari videatur, reliquis tamen omnibus locis repugnat. Quorum jam unus hoc abunde probat, quem superius adscripsi ex Anab. IV. 6. 14:

---

45) Xenoph. Hell. III. 3. 5, ubi haec imprimis verba animadvertenda sunt: *οὗτος δ' ἦν καὶ τὸ εἶδος νεανικὸς καὶ τὴν ψυχὴν εὔρωστος, οὐ μέντοι τῶν ὁμοίων.*

46) Politic. V. 6. 2: *ἢ ὅταν ἀνδρώδης τις ὢν μὴ μετέχῃ τῶν τιμῶν, οἷον Κινάδων ὁ τὴν ἐπ' Ἀγησιλάου συστήσας ἐπίθεσιν ἐπὶ τοὺς Σπαρτιάτας.*

47) Ad Leptin. p. 95 ed. Wolf.: *μετὰ τῶν ὁμοίων — μετὰ τῶν ἄλλων ἀρχόντων.*

ὑμᾶς γὰρ ἀκούω τοὺς Λακεδαιμονίους, ὅσοι ἐστὲ τῶν ὁμοίων, εὐθὺς ἐκ παίδων κλέπτειν μελετᾷν: neque quod Aristoteles dicit μετέχειν τῶν τιμῶν, ipsam magistratuum gestionem sed aditum tantum ad capessendos honores atque omnino optimum civitatis jus significat, quod uno vocabulo ἐπιτιμία appellabatur [48]); Ulpianum illum personatum nihil moror. Possit etiam, si quis Stuhrii sententiam amplectatur, eandem Cinadonis quam Paedareti fortunam fuisse censere, quem Plutarchus narrat [49]), quamvis virtute praestaret, non inter trecentos illos equites allectum esse; sed longe aliam horum rationem fuisse supra jam demonstravi, ut taceam Cinadonem, quo ingenio describitur, ejusmodi repulsam non iniquiori animo quam Paedaretum laturum fuisse, neque tantam fuisse ignominiam, quae nisi totius rei publicae conversione facta reparari non posset. Multo speciosius illi ipsi opinioni, qua cum Spartanis Homoei confunduntur, hinc argumentum peti possit; neque enim Aristoteles tantum Cinadonem contra *Spartanos* conjurasse narrat, sed ipse Xenophonteus Cinado identidem *Spartanos* sibi inimicos esse prae se fert. Accuratius tamen re inspecta ideo tantum hoc fieri videmus, quia perioecos quoque et helotas perpetuos Spartanorum hostes in suas partes trahere studet; unde ipsum perioecum fuisse minime sequitur; immo si perioecus erat, non appareret, cur Xenophon, quum simpliciter dicere posset: τῶν μέντοι περιοίκων, circumlocutione uti malucrit: οὐ μέντοι τῶν

48) Cf. Aristot. Politic. III 3, 6: μάλιστα πολίτης ὁ μετέχων τῶν τιμῶν . . ὥσπερ μέτοικος γάρ ἐστιν ὁ τῶν τιμῶν μὴ μετέχων: cf. Wachsmuth. T. I, P. 1, p. 167.

49) V. Lycurg. c. 25; apophth. Lacc p. 233 Hutt.

ὁμοίων: cujus ita tantum justa ratio constat, si ea Homoeorum condicio fuit, ut etiam si quem inter eos esse exspectasses, legis tamen fortunaeve invidia vel aliquo casu consortio eorum carere posset. Neque nisi inter ipsos cives discrimen illa appellatione significaretur, satis perspicua illa definitio fuisset; Spartanis enim compluria et diversissima hominum genera opponuntur, perioeci, servi, libertinorum variae species; ipsorum duo tantum ordines apud Aristotelem distinguuntur, καλοὶ κἀγαθοὶ et δῆμος, quorum si alteri Homoei fuerunt, alteris significandis sufficiebat, ut οὐ τῶν ὁμοίων esse dicerentur. Neque tamen peculiari nomine et ipsi caruisse videntur; quod etsi suspicione tantum assequi liceat, tamen et re ipsa et virorum doctorum consensu commendatur, meritoque comprobata est Cragii sententia, qui, quum quatuor hominum genera Cinado apud Xenophontem enumeret [50], quos socios sibi in re publica Spartanorum evertenda fore sperat, εἵλωτας, νεοδαμώδεις, περιοίκους, ὑπομείονας, hos extremos fuisse, qui proprie Homoeis opponerentur, censuit [51].

---

50) **Hellen. III 3. 6:** *αὐτοὶ μέντοι πᾶσιν ἔφασαν ξυνειδέναι καὶ εἵλωσι καὶ νεοδαμώδεσι καὶ τοῖς ὑπομείοσι καὶ τοῖς περιοίκοις· ὅπου γὰρ ἐν τούτοις τις λόγος γένοιτο περὶ Σπαρτιατῶν, οὐδένα δύνασθαι κρύπτειν τὸ μὴ οὐχ ἡδέως ἂν καὶ ὠμῶν ἐσθίειν αὐτῶν.*

51) **Rep. Lac. I. 10:** *Existimo autem dictos fuisse ὁμοίους, qui pari inter se jure gaudebant quibusque honores omnes aequaliter patebant. Quales fuerunt qui legibus praescripta praestiterant et observarant, quique onera publica ferre poterant. Itaque non instituti disciplina Laconica vel minus eam observantes ὅμοιοι non erant, ut Cinadon ille. At ὑπομείονες sint ipsi qui ὁμοίοις inferiores erant, ac forte tum aliis tum vel eo illis cedebant, quod magistratus capere non poterant. Ideo quidem in horum numero mea sententia praeter eos quos diximus, qui legibus praescripta obire non poterant, sint censendi praeterea pauperiores quique et libertini exque libertinis geniti.*

Trium enim priorum generum quum aliunde nota sunt nomina, tum de condicione ita certe constat, ut cur optimo civitatis jure earuerint appareat; ὑπομείονες autem, quos Latine *paulo inferiores* dixeris, licet hoc uno loco commemorentur, tamen quum a reliquis diversos fuisse necesse sit, cur simul cum illis nominentur nulla causa intelligi possit, nisi deterioris condicionis Spartanos interpretemur, qui quamvis reliquis illis praestiterint, Homoeis tamen sive optimi juris civibus inferiores fuerint. Atque haec quidem distinctio ipsa vocabuli significatione confirmatur; quae licet Ubboni Emmio [52]) magnas quoque tenebras habere visa sit, tamen et a Xenophontis interpretibus recepta est, nec recentioribus, qui illustrandae Spartanorum reipublicae operam dederunt, displicuit; iidem tamen nec de statu et origine ὑπομειόνων nec de ipsius Cinadonis fortuna et condicione satis inter se consenserunt; qua de re jam amplius agendum erit.

IV.

Qui primus diligentius hanc quaestionem tractavit, Manso [53]) tria hominum genera ὑπομειόνων appellationem complecti censet: primum deterioris condicionis cives, qui quamvis Spartani nati essent, tamen qualibuscunque de causis optimo civitatis jure carerent; deinde si qui in civitatem recepti Homoeorum tamen jura non accepissent; denique mothones sive mothaces, quo nomine eos helotarum pueros

52) Graec. respubl. Elzev. 1632; T. I, p. 312.
53) Sparta T. I, P. 1, p. 230—241.

appellatos esse novimus, qui quum forti robustoque corpore essent, vel ad augendum civium numerum vel ad helotarum genus debilitandum una cum civium liberis Spartana disciplina imbuti deinde ingenuorum loco habebantur, quosque iccirco etiam τροφίμους sive alumnos Spartanorum appellari videmus [54]); horumque generi Cinadonem quoque haud dubitanter annumerat. Mihi tamen multa ex his non exiguam dubitationem habere videntur. Primum quidem, ut hinc ordiar, si ex mothacum numero erat, non intelligo cur de honorum aditu Cinadoni desperandum fuerit, quorum paulo ante summos Gylippus, Lysander, Callicratidas gesserant, quos omnes mothaces fuisse Aelianus affirmat [55]), neque his solis sed omnibus, qui quum mothaces facti essent, in disciplina Laconica persisterent, civitatem a Lycurgo concessam esse addit: ὁ δε Λυκοῦργος τοῖς ἐμμείνασι τῇ τῶν παίδων ἀγωγῇ πολιτείας Λακωνικῆς μεταλαγχάνει. Phylarcho enim [56]), qui libertatem quidem, non tamen civitatem eos adeptos esse contendit, vel ideo fidem non habuerim, quia Lysandrum, quum Mothacem natum nihiloque minus civem fuisse nosset, hoc propter virtutem quasi praecipuum accepisse putavit. Sed Lysandri comme-

---

54) Cf. Lehrbuch cit. §. 25, not. 16; Schömann antiqu. jur. publ. p. 112.

55) Var. Hist. XII. 43: Καλλικρατίδας γε μὴν καὶ Γύλιππος καὶ Λύσανδρος ἐν Λακεδαίμονι μόθακες ἐκαλοῦντο· ὄνομα δὲ ἦν ἄρα τοῦτο τοῖς τῶν εὐπόρων, οὓς συνεξέπεμπον αὐτοῖς οἱ πατέρες συναγωνιουμένους ἐν τοῖς γυμνασίοις.

56) Apud Athenaeum VI. 102: εἰσὶ δ' οἱ μόθακες σύντροφοι τῶν Λακεδαιμονίων· ἕκαστος γὰρ τῶν πολιτικῶν παίδων, ὡς ἂν καὶ τὰ ἴδια ἐκποιῶσιν, οἱ μὲν ἕνα, οἱ δὲ δύο, τινὲς δὲ πλείους ποιοῦνται συντρόφους αὐτῶν· εἰσὶν οὖν οἱ μόθακες ἐλεύθεροι μέν, οὐ μὴν Λακεδαιμόνιοι, μετέχουσι δὲ τῆς παιδείας πάσης.

moratur pater ipsi Heraclidarum stirpi cognatus Aristocritus [57]) ut Gylippi Cleandridas [58]), quod, si viri demum facti et virtute bellica comprobata in Spartanorum numerum recepti essent, explicationem vix haberet, sin a tenerrima aetate per ipsam disciplinam puerilem Spartani facti sunt, tantum abest ut, quod nonnullis visum est, Aeliani testimonio refragetur, ut novam lucem toti rationi addat. Videmus enim non libertinorum eos loco habitos esse, quapropter nec inter varias illas libertinorum species apud Athenaeum leguntur, sed per aliquod adoptionis genus civitatem accepisse; quod eo facilius institui potuisse putarim, quia plerumque veri ipsorum patres Spartani fuisse videntur, quos veri simillimum est haud raro cum helotarum mulieribus rem habuisse, indeque si pueri nati essent robustiores pulcrioresque quam quos helota procreasse videri posset, sibi tanquam proprios vindicasse. Omnino notum est abundante demum ingenuorum civium multitudine spuriis apud Graecos civitatem ademtam esse [59]), hominum penuria coactos interdum vel cum iis civitatem

57) Plut. V. Lysand. c. 2 pluraque apud Sievers. Gesch. Griechenlands v. End. d. pelop. Kriegs, Kiel 1840. 8, p. 29, qui tamen quod ipse Phylarcho atque Aeliano fidem negat de natali Lysandri condicione, singularem mothacum originem non satis recogitasse videtur; nam si frater ejus propter avitam cum Libycis regibus amicitiam Libys appellatus erat (Diodor. XIV. 13), non video, cur non hujus ipsius *σύντροφον* Lysandrum habeamus, cui posterius in ipsam familiam recepto et patris nomen et eadem cum Libybus conjunctio contigerit.

58 Plut. V. Pericl. c. 22, Nic. c. 28. Male Diodor. XIII. 106 *Κλέαρχον*: cf. etiam schol. Aristoph. Nubb. v. 858.

59) Aristot. Politic. III. 3. 5: *τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἔχει καὶ τὰ περὶ τοὺς νόθους παρὰ πολλοῖς· οὐ μὴν ἀλλ' ἐπεὶ δι' ἔνδειαν τῶν γνησίων πολιτῶν ποιοῦνται πολίτας τοὺς τοιούτους — διὰ γὰρ ὀλιγανθρωπίαν οὕτω χρῶνται τοῖς νόμοις — εὐποροῦντες ὄχλου κατὰ μικρὸν παραιροῦνται τοὺς ἐκ δούλου πρῶτον ἢ δούλης, εἶτα τοὺς ἀπὸ γυναικῶν* κ. τ. λ.

communicasse, quos peregrinus cum cive procreasset, quo ex genere modo significavi inter Spartanos quoque Parthenias illos fuisse, quos ipsos ἐκ τῶν ὁμοίων fuisse clare Aristoteles testatur (cf. not. 44); spuriorum autem, qui valde speciosi neque urbanae dignitatis expertes fuerint, insignissimum exemplum Xenophon exhibet [60]), ubi quum Manso eo usque lapsus esset, ut νόθους cives recens receptos significare posse arbitraretur [61]), rectius Müllerus [62]), omnium rectissime Wachsmuthius [63]) scriptoris verba in eandem quam nos modo proposuimus sententiam interpretatus est. Illud tantum, quod Wachsmuthius eos, quos ξένους τῶν τροφίμων καλουμένων Xenophon appellat, a mothacibus diversos nescios quos peregrinorum filios (*Söhne der Fremde*) intelligit, qui mature Spartam delati Spartana disciplina imbuti sint, mihi quidem secus videtur. Opportune enim Plutarchus: ἔνιοι δ' ἔφασαν, inquit, ὅτι καὶ τῶν ξένων ὃς ἂν ὑπομείνῃ ταύτην τὴν ἄσκησιν, τῆς πολιτείας κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Λυκούργου μετεῖχε [64]); quod etsi pinguiori sensu de qualibuscunque peregrinis intellexit personatus Heraclitus [65]), perspicue tamen Xenophonteus locus do-

60) Hellen. V. 3. 9: *πολλοὶ δὲ αὐτῷ καὶ τῶν περιοίκων ἐθελονταὶ καλοὶ κἀγαθοὶ ἠκολούθουν, καὶ ξένοι τῶν τροφίμων καλουμένων καὶ νόθοι τῶν Σπαρτιατῶν, μάλα εὐειδεῖς τε καὶ τῶν ἐν τῇ πόλει καλῶν οὐκ ἄπειροι.*

61) L. c. p. 237.

62) Dorier T. II, p. 285; etsi quid sentiret obscurius significavit: *die νόθοι bei Xenophon, ordentlich ein besonderer Stand, der aber an der Erziehung der Spartiaten Antheil hatte, sind wohl aus Verbindung verschiedener Stände hervorgegangen, gewiss nicht aus eigentlichem* stuprum.

63) Hell. Alterth. T. I, P. 1, p. 210.

64) Instit. Lacc. T. VIII, p. 252 Hutt.

65) Cujus epistolam ineditam publicavit Boissonadius ad Eunapium p. 425: *Λακεδαι-*

cet, quales potissimum intelligendi sint peregrini illi, quibus, si disciplinae suae rigorem subiissent, civitatem Lycurgus promiserit; cum exteris enim rarissime communicatam esse et ex Herodoti narratione de Tisameno et Hegia apparet [66]) et a Dionysio Halicarnassensi confirmatur [67]), neque ullo fundamento nititur Mansonis opinio; qui praeterea alios quoque deterioribus condicionibus receptos esse suspicatur. Sin mirum alicui videatur Lacedaemonios homines servili loco natos civitate donasse, atque ex servis potius quam exteris adeoce perioecis civium numerum supplere maluisse, Romanorum exemplum recogitet, quos et ipsos novimus libertinis haud gravate plena Quiritium jura tribuisse, socios, a quibus tam diu non minus quam a perioecis Spartani armis corporibusque adjuti essent, post longas demum concertationes in civitatem recepisse; nec si ea potissimum communicandae civitatis causa erat, ut exercitus supplerent hominumque bello idoneorum penuriae occurrerent, perioecos recipi necesse erat, sed servos, qui nisi libertatis spe proposita transfugissent potius quam militassent. Similis fere etiam neodamodum

---

μόνοι δὲ μετ' ἄλλων καὶ τοῦτ' ἀγαθοί, οὐ γράμμασιν ἀποδεικνύντες Σπαρτιάτας ἀλλ' ἀγωγῇ: κἂν ἐλθών τις Σκύθης ἢ Τριβαλλὸς ἢ Παφλαγὼν ἢ μηδὲν ἔχων ὄνομα χώρας ὑποστῇ τὴν Λυκούργειον σκληραγωγίαν, Λάκων ἐστί.

66) Herod. IX, 35: *μοῦνοι δὲ δὴ πάντων ἀνθρώπων ἐγένοντο οὗτοι Σπαρτιήτῃσι πολιῆται.*

67) Arch. Rom. II. 17: *τὰ δὲ Ἑλλήνων ἔθη παρὰ ταῦτα ἐξετάζων οὐκ ἔχω πῶς ἐπαινέσαιμι τὰ Λακεδαιμονίων . . . οἱ φυλάττοντες τὸ εὐγενὲς καὶ μηδενὶ μεταδιδόντες εἰ μὴ σπανίως τῆς παρ' ἑαυτοῖς πολιτείας, ἐῶ γὰρ ξενηλατοῦντες, πρὸς τὸ μηδὲν ἀπολαῦσαι ταύτης τῆς μεγαληγορίας ἀγαθὸν καὶ τὰ μέγιστα δι' αὐτὴν ἐβλάβησαν κ. τ. λ.* Aristotelis dictum Politic. II. 6. 12, quod contrarium affirmare videatur, ad aliam aetatem retuli in disp. de statu Laced. ante Lyc. p. 22.

origo fuit, quos tamen ideo deteriori quam mothaces condicione uti necessarium erat, quia adulti demum ad libertatem pervenerant, quum illi inde a pueris ingenuis artibus instituti essent ideoque soli omnibus quae legibus exigebantur satisfacerent. Nam ut verbo dicam quod res est, quum in reliquis omnibus Graeciae rebus publicis ipsa nascendi condicione legitima et genuina civitas niteretur, Lycurgum videmus omnem civitatis fructum cum disciplinae atque educationis communione conjunxisse; ita ut etiam si quis Spartano genere oriundus esset, nisi hujus particeps fuisset, optimo civitatis jure privaretur. Sed de his mox plura; nunc unum testem adhibeo Xenophontem Rep. Lac. III. 4: ἐπιθεὶς δὲ καί εἴ τις ταῦτα φύγοι μηδενὸς ἔτι τῶν καλῶν τυγχάνειν, cujus comparatione etiam Hellenicorum ille locus eam lucem accipiet, ut quum τοὺς τῶν Σπαρτιατῶν νόθους τῶν ἐν τῇ πόλει καλῶν μὴ ἀπείρους fuisse Xenophon dicat, ipsa civium jura intelligenda esse sentiamus [68]); Phylarchum autem loco superius allato (cf. not. 56) ipsum sibi fidem derogare videmus, quum mothaces, quos ipse μετέχειν τῆς πάσης παιδείας testatur, tamen civitate cassos fuisse narret. Νεοδαμώδεις autem ne quis iccirco cum ὑπομείοσι

---

68) Haasius quidem ad Xenoph. Rep. Lac. p. 96 et 320 *studia* et *disciplinam publicam* eo vocabulo significari contendit; sed hanc quoque significationem ita tantum adipisci possit, ut sit idem quod *τὰ νενομισμένα*, ut apud Soph. Oed. Col. v. 48: *ἄλλα δ' ἀλλαχοῦ καλά*, eoque modo semper redibimus ad id, quod in hac quaestione primarium est, ut ii qui legum beneficiis utantur distinguantur ab iis qui horum expertes sint. Similis ratio est Cyrop. VII. 3. 13: *καὶ τούτων μὲν ᾗ εἰκὸς ἐπεμελήθη, ὡς τύχοιεν πάντων τῶν καλῶν*, ubi commodissime interpretabimur *justa*, neque aliter jam Sturzius Lex. Xenoph. T. II, p. 643 locum de Rep. Lac. explicavit; *sed A. 3. 4 sunt jura civium*, ut omittam Plut. Inst. Lacc. p 252, ubi eadem sententia his verbis declaratur: *οὐ μετεῖχε τῶν τῆς πόλεως δικαίων.*

confundat, alter Hellenicorum locus prohibet (cf. not. 50), ubi clarissime inter se distinguuntur. Hi nimirum, licet Spartani nati essent, deteriori loco habebantur; illi ne inter Spartanos quidem numerabantur [69]); quanquam filii ipsorum, ubi disciplinae Spartanae participes facti erant, nec civitate carere amplius poterant. Neque enim intelligo quibus argumentis Wachsmuthius contendat Homoeorum et jure et nomine eos tantum usos esse, qui a priscis Spartanis originem ducerent. reliquos omnes, quamvis illos disciplinae praestantia aequarent, propter ipsam nascendi condicionem abjectos inferiorique loco habitos esse [70]); quod si inde fortasse collegit, quod Cinado vir fortis neque ullo Spartanorum corporis animive dotibus inferior fuisse dicitur, certe etiam sine Lycurgi disciplina naturali virtute ac robore excellere poterat. Neque magis assentior in eo, quod ὑπομείονας eos interpretatur, qui ex perioecorum genere inter cives recepti sint, ex ipsa verborum collocatione apud Xenophontem colligi posse ratus, eandem ipsis cum perioecis quam inter helotes et neodamodes rationem intercessisse, quod quam temere sumtum sit, nemo non videt, ut omittam, de quo supra jam monui, civitatis cum perioecis communicatae ante Agidem neque exempla exstare nec rationem apparere. Magis probo de deterioris condicionis civibus quae Manso disputavit, quanquam hunc quoque miror, quum jam rectam viam ingressus esset, eo aberrare potuisse, ut Homoeorum

69) Cf. Lachmann spartan. Staatsv. p. 127 pluraque in Lehrbuch cit. §. 25, not. 14.

70) L. c. p. 211: *dies musste den halbberechteten Neubürgern um so empfindlicher seyn. als nach altspartanischer Trefflichkeit zu ringen ihnen nicht verwehrt wurde* etc.

praestantiam a nobilitate quarundam familiarum derivaret, quae a majoribus vel originis splendore vel virtute bellica rebusque gestis nescio quam majorem potentiam hereditario jure acceperint [71]); quales nullas Spartae fuisse non est cur iterum confirmem; unum illud vellem Manso explicasset, quaenam ibi certarum familiarum nobilitas cogitari potuerit, ubi tam exigua sanguinis puri servandi cura erat, ut vel promiscuus mulierum usus lege moribusque permitteretur? Sed his immorari non opus est; transeamus ad accuratiorem eorum explicationem, quae ipse recte quamvis in transcursu tantum et velut titubans ibidem [72]) de causis turbatae inter Spartanos aequalitatis significavit.

V.

Gravissimum Aristotelis testimonium est, ubi contra Lycurgi mentem evenisse narrat, ut, quum lege prohibitum esset, ne quis optimo civitatis jure uteretur, qui pariter cum reliquis contribuere ad syssitia detrectaret, subnascente bonorum inaequalitate pauperrimus quisque rei publicae communione excluderetur [73]); quod si

---

71) Sparta T. I, P. I, p. 239.

72) Ibidem not. h: *auch hatte hierzu gewissermassen Lykurg schon den Grund durch das Gesetz gelegt, welches einen jeden, der seinen Beitrag zu den Syssitien nicht entrichten konnte, von allem Antheile an der Staatsverwaltung ausschloss.*

73) Polit. II. 6. 21: *παρὰ δὲ τοῖς Λακεδαιμονίοις ἕκαστον δεῖ φέρειν, καὶ σφόδρα πενήτων ἐνίων ὄντων καὶ τοῦτο τὸ ἀνάλωμα οὐ δυναμένων δαπανᾶν ὥστε συμβαίνει τοὐναντίον τῷ νομοθέτῃ τῆς προαιρέσεως· βούλεται μὲν γὰρ δημοκρατικὸν εἶναι τὸ κατασκεύασμα τῶν συσσιτίων, γίνεται δ' ἥκιστα δημοκρατικὸν οὕτω νενομοθετημένον· μετέχειν μὲν γὰρ οὐ ῥᾴδιον τοῖς λίαν πένησιν, ὅρος δὲ τῆς πολιτείας οὗτός ἐστιν αὐτοῖς ὁ πάτριος, τὸν μὴ δυνάμενον τοῦτο τὸ τέλος φέρειν μὴ μετέχειν αὐτῆς.*

posterius demum sancitum esse Cragius censuit, vereor ne a tota hujus instituti natura prorsus aberraverit. Neque enim privatae tantum luxuriae coërcendae morumque integritati servandae syssitia instituta esse, vel Milesiorum exemplum docere potest, quos quum sobrietatis ac temperantiae haud admodum studiosos fuisse constet, tamen et ipsos syssitiis usos esse videmus ex Platone, qui seditiones discordiamque civilem inde apud illos ortam esse significat [74]. Nimirum per syssitia non secus ac per tribus et curias singuli cives distributi erant, eo consilio, ut quum universus populus in unum convenire quotidie non posset, tamen per partes simili modo quo prytanes apud Athenienses, quos et ipsos una coenasse notum est, quotidie coirent deque rebus ad rem publicam pertinentibus sermones conferrent. Qua de causa Dosiadas [75] Cretensium syssitia cum sodalitiis comparat; Plutarchus autem illa apud Cretenses pariter ac Lacedaemonios consiliorum quorundam arcanorum locum tenere ait, quae cum aliorum prytaneis vel thesmothesiis comparari possint [76]; unde facile intelligitur, tantum momenti ex legislatoris mente ad ipsam rei publicae administrationem hanc syssitiorum communionem

74) **Plat. legg. I, p. 636:** *ἐπεὶ καὶ τὰ γυμνάσια ταῦτα καὶ τὰ ξυσσίτια πολλὰ μὲν ἄλλα νῦν ὠφελεῖ τὰς πόλεις, πρὸς δὲ τὰς στάσεις χαλεπά· δηλοῦσι δὲ Μιλησίων καὶ Βοιωτῶν καὶ Θουρίων παῖδες.*

75) **Apud Athenaeum IV, 22:** *διῄρηνται δ' οἱ πολῖται πάντες καθ' ἑταιρίας, καλοῦσι δὲ ταύτας ἀνδρεῖα.*

76) **Quaest. sympos. VII. 9:** *τὰ γὰρ παρὰ Κρησὶν ἀνδρεῖα καλούμενα, παρὰ δὲ Σπαρτιάταις φιδίτια, βουλευτηρίων ἀποῤῥήτων καὶ συνεδρίων ἀριστοκρατικῶν τάξιν εἶχεν, ὥσπερ οἶμαι καὶ τὸ ἐνθάδε πρυτανεῖον καὶ θεσμοθέσιον.*

habuisse, ut nemo ea abstinere posset, quin simul omnem cognoscendae curandaeque rei publicae opportunitatem amitteret honoribusque gerendis omnino ineptus fieri videretur. Si quis igitur vel interesse syssitiis nequiret vel ceterorum convivarum suffragiis rejiceretur [77]), non magis accedere ad rem publicam poterat, quam Romae qui tribu motus interque aerarios relatus esset. Quod tamen ex ipso Lycurgi consilio ac descriptione justissimum erat, qui quum aequabiles omnibus agrorum redituumque portiones attribuisset, neminem nisi turpiter profusum ab omnique prisci moris frugalitate degenerem eo penuriae venturum exspectare poterat, ut vel modicis illis sumtibus exhibendis non sufficeret; turbata autem bonorum aequalitate facile accidit, ut paupertas in infamiae locum succederet paulatimque in solas divitum manus res publica veniret. Atque jam hinc Homoeorum originem repeti posse egregie Pastoretus intellexit [78]); licet in eo falsus, quod corruptionem Lacedaemoniorum per regem Persarum, quam Alexander ipsis exprobravit [79]), eam vim habuisse arbitratur, quo plures Persarum in gratiam suffragia

---

77) Xenoph. Rep. Lac. VII. 4.

78) L. c. p. 287: *être né à Sparte ne suffisait pas pour être éligible aux magistratures: il fallait être né d'un père et d'une mère Spartiates, il fallait encore être admissible aux repas communs, c'est à dire y pouvoir apporter chaque jour le contingent préscrit. Cette obligation est remarquable dans un pays, où les lois favorisèrent mal la propriété; c'était comme le cens exigé pour être élu dans les autres républiques . . . Tous ceux qui pouvaient fournir le contingent demandé, furent désignés par la qualification d' Egaux; les citoyens de la seconde classe, ὑπομείονες, n'étaient guère que des habitans; ils avaient cependant le même droit de naissance, ils appartenaient aux mêmes familles, aux mêmes tribus, mais ils n'offraient pas les mêmes garanties d'indépendance etc.*

79) Arrian. exp. Alex. II. 14. 9.

ferre possent; illam enim pecuniam non ad pauperes sed ad eos qui rempublicam regerent pervenisse consentaneum est, neque pecuniae sed agrorum fundorumque modo censas esse per totam Graeciam eas opes constat, quibus jura civilia niterentur. Sed de his mox; de re ipsa si recte Pastoretus disputavit, probatur etiam quod superius statuimus Homoeos eosdem esse cum καλοῖς κἀγαθοῖς apud Aristotelem, neque ὑπομείονας alios quam quos communi nomine ille δῆμον appellavit; quos enim modo ex plebe creari solitos narraverat ephoros, eosdem tradit haud raro pauperrimos fuisse ideoque corruptionibus patuisse [80]). Mire hoc torsit tam Levesquium quam Wachsmuthium, qui quum multo latius patere Homoeorum nomen arbitrarentur, ipsa tamen rei necessitate coacti eo veniebant, ut inter ipsos quos sibi fingerent Homoeos et opum et inde ductum juris condicionisque civilis discrimen obtinuisse intelligerent [81]); Levesquius enim licet non ut Wachsmuthius novos cives sed perioecos Homoeis opponat, tamen quum illos, quos novorum civium appellatione Wachsmuthius amplectitur, in perioecorum condicionem rejiciat, verbis potius quam re ab illo dissentit [82]). Immo etiam

---

80) Aristot. Politic. II. 6. 14: *γίνονται δ' ἐκ τοῦ δήμου πάντες ὥστε πολλάκις ἐμπίπτουσιν ἄνθρωποι σφόδρα πένητες εἰς τὸ ἀρχεῖον οἳ διὰ τὴν ἀπορίαν ὤνιοι ἦσαν.*

81) Levesquii verba cf. sup. not. 35; Wachsmuthii l. c. p. 214: *Aristoteles sagt nicht, dass δῆμος für Neubürger zu halten seyen . . . ausser diesen gab es allerdings noch einen Demos von Altbürgern, darunter sehr bedürftige . . . recht wohl erklärt es sich, wie dergleichen Altbürger einerlei Standessinn mit den Angesehenen und Begüterten haben konnten.*

82) Mem. cit. p. 359: *le nombre des malheureux, qui formaient l'autre classe, dût s'accroître toujours, parceque les n e o d a m o d e s ou a f f r a n c h i s finissoient par entrer dans*

speciosius Wachsmuthius, qui inde demonstrare conatur diversos ab Aristotelis δήμῳ fuisse eos quos Homoeis opponit, quia Aristoteles *plebem* propter ephoriae participationem quiescere dicat [83]), neodamodes autem et ὑπομείονας ex Xenophonte appareat novis rebus studuisse animosque ipsorum a Spartanorum re publica abalienatos fuisse; at, puto, aliud est quiescere, aliud contentum esse; nec si Aristotelis tempore in reliquiis illis ex magno naufragio servatis plebs acquieverat, inde sequitur ut Cinadonis quoque aetate, quum recentior adhuc pristinae aequalitatis memoria esset, Homoeorum regnum patienter tulerit. Quaerat sane aliquis, quo pacto Aristoteles dicere possit honorum expertem fuisse Cinadonem, cui, si inter ὑπομείονας erat, nihilominus ephoratus patuit; cui equidem licet respondere possim fortasse neodamodibus potius annumerandum esse, nolo tamen facere, ne aut nimis licenter agere videar, aut illud mihi objiciatur, quo ipse supra, ut perioecum fuisse negarem, usus sum, causam non apparere, cur hoc non clare Xenophon enunciaverit; sed illuc animum adverti jubeo, quod Aristoteles ipse, quum pauperes ex lege Spartanorum pleno civitatis jure caruisse nosset, ad ephoratum tamen plerumque pauperes homines pervenire sine ulla dubitatione narravit. Nimirum, ut dicam quod sentio, quaecunque jura per Lycurgi leges civibus Spartanis data essent, iis soli Homoei fruebantur, remotis ceteris, quippe qui legibus illis non

---

son sein; ils devenaient donc toujours plus pauvres; c'étaient les membres de la première classe qui seuls s'appellaient les E g a u x etc.

83) Politic. II. 6. 15: *ἡσυχάζει γὰρ ὁ δῆμος διὰ τὸ μετέχειν τῆς μεγίστης ἀρχῆς*: cf. II. 7. 5.

satisfacerent; ephororum dignitate, quam multis demum post Lycurgum annis constitutam esse locupletissimis auctoribus credimus [84]), cur ὑπομείονες arcerentur causa in legibus non erat, neque cum Pastoreto *per abusum* tantum factum esse dixerim, ut non ex solis Homoeis ephori crearentur, quos omnino legibus fere solutos fuisse Aristoteles tradit [85]). At enim vero haec sola erant, quae plebi relicta esse claris verbis Aristoteles testatur, ut senatores ipsa crearet, ephori ex ipsius numero caperentur [86]); quae praeterea populi comitiis Lycurgus attribuerat, ad Homoeos solos transiisse etiam Demosthenis verba docent, ubi senatum ait τῆς πολιτείας κύριον γίγνεσθαι μετὰ τῶν ὁμοίων (cf. sup. not. 40), neque alios jam esse arbitror quos identidem τοὺς ἐκκλήτους apud Xenophontem appellari diximus (cf. not. 2). Ἐκκλήτους enim esse, quicunque ad concionem conveniant, insigni veteris grammatici testimonio constat [87]), non se-

---

84) Cf. disp. de notis Laced. inst. p. 63 sq.

85) Politic. II. 6. 16: ἔστι δὲ καὶ ἡ δίαιτα τῶν ἐφόρων οὐχ ὁμολογουμένη τῷ βουλήματι τῆς πόλεως· αὕτη μὲν γὰρ ἀνειμένη λίαν ἐστί κ. τ. λ.

86) Politic. IV. 7. 5: τοὺς μὲν γὰρ γέροντας αἱροῦνται, τῆς δὲ ἐφορίας μετέχουσι. Ephori quo modo creati sint, non satis constat; erat quum qualicunque ratione a senatu lectos arbitrabar, non tam quia Plato legg. III, p. 692 proxime eos accessisse ait ad magistratus Atheniensium sorte constitutos, quos ab archontibus ductos esse novimus, sed quia Xenophon in Cyrop. I. 2. 14 in illa, quam ad Lacedaemoniorum exemplar finxit, republica senes, quibus summam judiciorum potestatem tribuit, reliquos quoque magistratus creare, ait: καὶ θανάτου δὲ οὗτοι κρίνουσι καὶ τὰς ἀρχὰς οὗτοι πάσας αἱροῦνται: saniora quamvis non certiora v. nunc in Lehrbuch cit. §. 41, not. 4 et 5.

87) Lex. rhetor. ad calcem Photii Porson. p. 668. 3: ἔκκλητον καὶ τὸ συναθροισμένον ὡς Εὐριπίδης· ἐλθὼν γὰρ εἰς τὸν ἔκκλητον λεών, οἱονεὶ τὸν ἐκκλησιάζοντα: cf. Eurip. Orest. v. 612 et 949.

lectos nescio quos ex illis, quae Wachsmuthii opinio est [88]); quod si universae Spartanorum multitudini, qua Homoei pariter atque ὑπομείονες comprehenduntur, hac aetate non amplius eam vim concedere possumus, ut de gravissimis illis rebus statuerit, quas cum ἐκκλήτοις communicatas esse legimus, commodissime accidit ut praeter magnam sive Lycurgeam concionem, quam rarissime tantum et in summo totius rei publicae discrimine cogi consentaneum erat, etiam parvae alicujus mentio exstet, quam et Müllerus Homoeorum praecipuam fuisse suspicatus est [89]) et omnia suadent ut ipsis illis quos diximus ἐκκλήτοις constitisse credamus [90]).

VI.

Homoeorum certe condicionem atque originem jam Hutchinsonus [91]) recte intellexit nulla re magis illustrari quam comparatione eorum, quos in Persarum re publica ὁμοτίμους Xenophon appellavit: hi quamvis exigui reliquae Persarum multitudini imperant [92]), hi in consilium a rege adhibentur [93]), his ὁ δῆμος τῶν Περσῶν opponitur [94]), neve stirpis diversitate bellive jure hanc potentiam niti putemus, ipsius Cyri vetat oratio ad eos, qui inferioris condicionis erant, quos in omni reliquarum rerum aequabilitate ideo tantum arceri a re

88) L. c. p. 212.
89) Dorier T. II, p. 87.
90) Cf. Schömann de eccl. Laced. p. 5, Tittmann griech. Staatsverf. p. 103.
91) Ad Xenoph. Anab. IV. 6. 11.
92) Cyrop. II. 1. 8.
93) Ibid. VII. 5. 71.
94) Ibid. I. 5. 5.

publica ait, quia necessarium sibi victum parare cogantur [95]). Nemo enim, alio loco inquit [96]), Persarum honoribus magistratibusque gerendis lege prohibetur, immo omnibus licet filios suos in communes justitiae ludos mittere; at ii tantum mittent, qui filios alere possunt otiosos, hoc est qui tantum opibus valent, ut illorum opera ad opus faciendum victumque labore quaerendum non indigeant; inopum filiis, quibus propter ἀσχολίαν justa Persarum disciplina carendum erat, aditus etiam ad rem publicam gerendam praecludebatur. Quae si ad Lacedaemoniorum similitudinem efficta sunt, liquido apparet, alterum quoque fontem, unde secundum ipsas Lycurgi leges turbari civium aequalitas poterat, cum bonorum inaequalitate arctissime conjunctum fuisse, quamque Lycurgus, bonis aequaliter distributis, desidibus tantum contumacibusve proposuisset capitis deminutionem, orta censuum inaequalitate in totam pauperum multitudinem redundasse; quod miror et Pastoretum et Levesquium minus animadvertisse. Nempe eos tantum, qui inde a pueris tota Spartanorum disciplina instituti essent, optimo civitatis jure usos, reliquos, quamvis Spartani nati essent, a rei publicae administratione civiumque communione repulsos esse, et universe Plutarchus tradidit [97]) et insignis-

95) Xenoph. Cyrop. II. 1. 15: ἄνδρες Πέρσαι, ὑμεῖς καὶ ἔφυτε ἐν τῇ αὐτῇ ἡμῖν χώρᾳ καὶ ἐτράφητε καὶ τά σώματά τε ἡμῶν οὐδὲν χείρονα ἔχετε ψυχάς τε ὑμῖν προσήκει οὐδὲν χείρονας ἡμῶν ἔχειν· τοιοῦτοι δ' ὄντες ἐν μὲν τῇ πατρίδι οὐ μετείχετε τῶν ἴσων ἡμῖν, οὐχ ὑφ' ἡμῶν ἀπελαθέντες, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ τὰ ἐπιτήδεια ἀνάγκην εἶναι ὑμῖν πορίζεσθαι.

96) Ibid. I. 2. 15.

97) Instit. Laco. T. VIII, p. 252: τῶν πολιτῶν ὃς ἂν μὴ ὑπομείνῃ τὴν τῶν πολιτῶν ἀγωγήν, οὐ μετεῖχε τῶν τῆς πόλεως δικαίων.

simo Eteoclis ephori exemplo confirmat, qui ideo negavit pueros Antipatro Macedoni obsides dari oportere, quia, si patria disciplina caruissent, ne cives quidem amplius futuri essent [98]); idque ad ipsum Homoeorum discrimen referendum esse clarissimo Xenophontis testimonio probatur [99]). Quo in loco ne quem male habeat, nostraeve sententiae adversari videatur, quod nec opum rationem habuisse Lycurgum in optimo civitatis jure tribuendo Xenophon narrat, moneo *χρημάτων ἀσθένειαν*, quum de Lycurgi aetate sermo sit, non agrorum possessiones sed pecuniam tantum omninoque res mobiles et supellectilem domesticam spectare posse, quam Lycurgum coërcuisse tantum, non aequasse Plutarchus auctor est [100]), ut vel

98) Apophthegm. Lac. p. 248: *ὁμήρους αἰτοῦντος Ἀντιπάτρου πεντήκοντα παῖδας, Ἐτεοκλῆς ἐφορεύων εἶπε παῖδας μὲν οὐ δώσειν, ἵνα μὴ ἀπαίδευτοι γένωνται τῆς πατρίου ἀγωγῆς ἀτακτήσαντες· οὐδὲ πολῖται γὰρ ἂν εἴησαν.* Ita enim distinctis constructionibus facile defendetur vulgata h. l. lectio, cujus in locum, quum *τῆς πατρίου ἀγωγῆς ἀτακτήσαντας* conjungeret, Wyttenbachius *ἀτυχήσαντες*, Haasius ad Xenoph. Rep. Lac. p. 320 *ἁμαρτήσαντες* substitui maluit. Sed *ἀπαίδευτοι ἀγωγῆς* simili modo dictum erit, quo *κακῶν ἄνατος* et *ἀνήνεμος χειμώνων* aliaque multa apud poëtas, quorum exempla dabunt Valcken. ad Eurip. Phoen. v. 328 et Reisig. enarr. Soph. Oedip. Colon. v. 670, neque alienum fuerit *ἄπαις ἀῤῥένων παίδων* apud oratores Atticos aliosque scriptores, de quo cf. Wesseling. ad Diodor. Sic. IV. 33; *γὰρ* autem haud raro vel post plura verba collocari, abunde docebunt Schaefer. Melett. crit. p. 76, Ast. ad Plat. Symp. p. 222, Stallbaum. ad ejusd. Phileb. p. 90, Reisig. conject. Aristoph. p. 147, Frotscher. ad Xenoph. Hieron. p. 38, Fritzsch. quaestt. Lucian. p. 100, Meinek. ad Menandr. p. 7 etc.

99) Rep. Lac. X. 7: *ἐπέθηκε δὲ καὶ τὴν ἀνυπόστατον ἀνάγκην, ἀσκεῖν ἅπασαν πολιτικὴν ἀρετήν· τοῖς μὲν γὰρ τὰ νόμιμα ἐκτελοῦσιν ὁμοίως ἅπασι τὴν πόλιν οἰκείαν ἐποίησε καὶ οὐδὲν ὑπελογίσατο οὔτε σωμάτων οὔτε χρημάτων ἀσθένειαν· εἰ δέ τις ἀποδειλιάσειε τοῦ τὰ νόμιμα διαπονεῖσθαι, τοῦτον ἐκεῖ ἀπέδειξε μηδὲ νομίζεσθαι ἔτι τῶν ὁμοίων εἶναι.*

100) Plut. V. Lycurg. c. 9: *ἐπιχειρήσας δὲ καὶ τὰ ἔπιπλα διαιρεῖν, ὅπως παντάπασιν ἐξέλοι τὸ ἄνισον καὶ ἀνώμαλον, ἐπεὶ χαλεπῶς ἑώρα προσδεχομένους τὴν ἄντικρυς ἀφαίρεσιν, ἑτέρᾳ προσῆλθεν ὁδῷ κ. τ. λ.*

incolumi ipsius descriptione ac distributione opibus inter se cives differrent divitesque a pauperibus distinguerentur [101]; sed hos quos Plutarchus appellat pauperes syssitiis tamen interesse videmus, non ut Aristotelis aetate factum est, propter inopiam abstinere (cf. not. 73). Ditiores illud tantum praecipuum habebant, ut aliquando etiam delicatiorem cibum ad commune convivium conferrent [102]; nemo autem ex Lycurgi descriptione adeo pauper esse poterat, quin justam saltem portionem exhibere posset, adeoque et agrorum et servorum distributione victui omnium quotidiano vitaeque necessitatibus provisum erat, ut sine anxia rei familiaris procuratione privatorumque negotiorum occupationibus ipsi cum liberis suis toti liberalibus militiae exercitationumque artibus vacare possent. Quibus si quis se vel ignavia vel lucri cupidine ductus subtraxisset, jure ingenuorum civium communione extrudebatur; tale enim otium summum libertatis argumentum Spartanos habuisse vel ex illo Laconis cujusdam dicto apud Plutarchum apparet, qui quum Athenis aliquem ex Solonis legibus desidiae (*ἀργίας*) damnatum esse audisset, monstrari sibi jussit, *τίς ἐστιν ὁ τὴν ἐλευθερίας ἑαλωκὼς δίκην* [103]: *οὕτω δουλοπρεπὲς*, Plutarchus inquit, *ἡγοῦντο τὴν περὶ τὰς τέχνας καὶ τὸν χρηματισμὸν ἀσχολίαν*. Turbata autem bonorum aequalitate haud

---

101) Ibid. c. 10: *ἐπὶ ταὐτὸ δεῖπνον τῷ πένητι τοῦ πλουσίου βαδίζοντος*: cf. Thucyd. I. 6: *καὶ ἐς τὰ ἄλλα πρὸς τοὺς πολλοὺς οἱ τὰ μείζω κεκτημένοι ἰσοδίαιτοι μάλιστα κατέστησαν.*

102) Xenoph. Rep. Lac. V. 3: *οἱ δὲ πλούσιοι ἔστιν ὅτε καὶ ἄρτον ἀντιπαραβάλλουσι*: cf. Athen. IV. 18.

103) Plut. V. Lycurg. c. 24.

raro accidisse consentaneum est, ut quis privatis curis victusque comparandi necessitate impeditus se suosque ab illis ludis contineret atque ita licet civili loco natus praeter inopiam ignominiam quoque optimique juris detrimentum pateretur. Neque enim cogitari potest tantam morum depravationem legumque neglectum Lacedaemone invaluisse, ut totus velut ordo exsisteret eorum qui sua culpa capitis deminutionem passi essent; nec licet post cladem in Sphacteria acceptam multos simul censoriam notam subiisse audiamus [104]), explicari inde τῶν ὑπομειόνων origo potest, quibus, si ex Cinadonis exemplo conjecturam facere licet, magistratibus quidem gerendis, non tamen simul etiam privati commercii auctoritate interdictum erat. Homoei igitur, ut totius disputationis summam paucis complectar, ii fuisse videntur, qui quum eum agrorum modum possiderent, unde et syssitiorum sumtibus sufficere et rei familiaris cura soluti Lycurgeae disciplinae inde a pueritia unice vacare possent, soli etiam ea in re publica dignitate jurisque plenitudine gaudebant, cujus fructum Lycurgus illis condicionibus circumscripserat; qui minus arabant, etsi pariter cum illis Spartani nati essent, inferiori loco quasi subimpares habebantur, quorum paulatim adeo numerus accrevit, ut ad extremum Plutarcho teste, quum omnino septingenti e Spartanis reliqui essent, centum circiter ex his soli et agros omnes et honores tenerent [105]). Neque quod extremis rei publicae temporibus negligi

104) Thucyd. V. 34: ἀτίμους ἐποίησαν, ἀτιμίαν δὲ τοιάνδε ὥστε μήτε ἄρχειν μήτε πριαμένους τι ἢ πωλοῦντας κυρίους εἶναι· ὕστερον δὲ αὖθις χρόνῳ ἐπίτιμοι ἐγένοντο.

105) Plut. V. Agid. c. 5: ὁ δὲ ἄλλος, inquit, ὄχλος ἄπορος καὶ ἄτιμος ἐν τῇ πόλει παρ-

coepta sunt syssitia [106]), quidquam mutationis attulit; jam enim invaluerat optimatium dominatio, quae quum census differentia et institutionis puerilis proprietate niteretur, hereditario modo a patribus a filios transiit, etsi per leges in singulos tantum homines juris illa deminutio constituta esset. Minus haec distinxit Tittmannus [107]), quum recte alioquin inter se comparatis Homoeis et καλοῖς κἀγαθοῖς apud Aristotelem, praecipuam Homoeorum dignitatem ad singulorum virtutem ac praestantiam referret; quae ut cum disciplinae Lycurgeae severitate arctissime conjuncta fuerit, nimis tamen notum est, quam vim illud vocabulum in Graecorum oligarchiis ad significandas optimatium factiones acceperit [108]), quam ut de hereditario Homoeorum ordine apud posterioris temporis Lacedaemonios dubitare liceat. Melius utique Müllerus [109]), quem omnino intelligimus, nisi extra illam aetatem, qua operis sui ambitum circumscripsit, Homoei caderent, nihil nobis ad disputationem relicturum fuisse: so viel leuchtet dem Unbefangenen auch bei der Spärlichkeit dieser Nachrichten ein, dass hier von einem an den Personen haftenden Unterschiede die Rede ist, der freilich dadurch vermittelt wird, dass jeder Homöos seinen Rang durch Schlechtigkeit verlieren, und jeder andere denselben durch Tüchtigkeit verdienen konnte; *aber wenn*

κάθηται, τοὺς μὲν ἔξωθεν πολέμους ἀργῶς καὶ ἀπροθύμως ἀμυνόμενος, ἀεὶ δέ τινα καιρὸν ἐπιτηρῶν μεταβολῆς καὶ μεταστάσεως τῶν παρόντων.

106) Athen. IV. 20.

107) Darst. d. griech. Staatsv. p. 586.

108) Cf. quos laudavi in Lehrbuch cit. §. 58, not. 7.

109) Dorier T. II, p. 84.

dies nicht der Fall war, dann doch der Familie blieb und auf die Kinder überging, da er nur in diesem Falle die Erziehung bestimmen konnte. Illud certe, opinor, liquido comprobatum est, quod disputationis hujus initio asserui, leges Lycurgi, dum neglecta rerum humanarum mobilitate adamantinis vinculis studia civium continere conarentur, ipsas veluti duces ad sui perniciem exstitisse. Quamvis enim magna detrimenta mores Spartanorum ab illis luxuriae instrumentis pecuniaeque signatae copia acceperint, unde post Lysandri victorias prima corruptionis semina res publica eorum recepisse traditur [110]), facile patet, exterarum divitiarum affluentiam in causa esse non potuisse, ut aliorum civium census diminueretur neque amplius ferendis syssitiorum exercitationumque oneribus pares essent; quibus adeo Lycurgus prospexerat, ut ad inopiam pervenire integra ipsius agrorum descriptione nemo civis posset. Ea tamen quo pacto sensim sensimque turbata ad illud demum inaequalitatis portentum, quod Plutarchus in Agidis vita describit, adducta sit, longioris disputationis est, quam cui hujus scriptionis angustiae sufficiant; quare nunc quidem deposito labore per aliam opportunitatem, Deo favente, telam abruptam redordiemur.

---

110) Cf. Plut. V. Lycurg. c. 30, V. Lysand. c. 16, Athen. VI. 24, Aelian. Var. Hist. XIV. 29 etc.

Epimetrum.

Disputatio haec jam typis repetita erat, quum in manus meas venit novus C. H. Lachmanni liber: Geschichte Griechenlands von dem Ende des peloponnesischen Kriegs bis zu dem Regierungsantritte Alexanders des Grossen, Lips. 1839. 8, in cujus appendice p. 458 sqq. sententiam meam de Homoeorum origine ita impugnat, ut Aristotelis testimonium de syssitiis (cf. not. 73) ab hac quaestione alienum esse dicat, quia illa lex omnes cives, hoc est Homoeos pariter atque inferiorem plebem syssitiorum communione adstrinxerit; antiquum autem hoc civium discrimen fuisse et ex ephoratus proprietate colligit, cujus in pari omnium jure causas procul fuisse arbitratur, et ex ipso Xenophonte demonstrare sibi videtur, qui quum Lycurgum eos, qui patriae virtutis exercitationem recusarent, Homoeorum numero exemisse narret (cf. not. 99), ipsum autem Lycurgum ad Heraclidarum tempus et civitatis primordia rejiciat (Rep. Lac. XI. 8), jam illa aetate fuisse declaret, qui his opponerentur. Quibus equidem, ne istius fastidium aut extimuisse aut superbe sprevisse videar, haec respondeo: Lycurgum alias leges Homoeis, alias universis civibus tulisse, neque veterum quisquam dixit neque ipsius Lachmanni opinioni convenit, qui hoc ipsum Lycurgo propositum fuisse ait, ut nobiles, quos appellat, et plebem communi civitate comprehenderet (spartan. Staatsv. p. 153); syssitiorum autem legem Lycurgeam esse et totius antiquitatis consensu et ipsis Aristotelis verbis comprobatur, qui nisi clarum legislatorem ante oculos habuisset, non τῷ νομοθέτῃ sed τῷ τὸν νόμον τεθεικότι vel νομοθετήσαντι dixisset; quod si illud institutum, cujus Aristoteles, et id, cujus Xenophon meminit, ab eodem auctore profectum ad eosdem homines spectavit, aut syssitiorum quoque communio solos Homoeos comprehendebat, aut Homoei Xenophonti iidem sunt quibus syssitiorum communio tanquam ὅρος τῆς πολιτείας πατρίος proposita erat; idque

Plutarchi loco firmatur (cf. not. 99), qui eadem sententia qua Xenophon μηδὲ νομίζεσθαι ἔτι τῶν ὁμοίων εἶναι, οὐδὲ πολῖται γάρ, inquit, ἂν εἴησαν. Xenophontem enim, quo Lachmannus confugit, quum Lycurgum ad ipsa reipublicae primordia rejiceret, Homororum nomine praepostere usum esse, quia eos, qui suo tempore Homoei appellarentur, tum solos cives fuisse nosset, eo aegrius crediderim, quo minus Xenophontem eorum quae ante Lycurgum fuere gnarum esse apparet; ineptissime certe locutus esset, si id quod ad omnes cives, Homoeos pariter ac plebem pertineret, aequalibus, qui utrumque genus probe distinxerunt, ita narrasset, ut nescio qua antiquitatis affectatione soli Homoeorum nomini tribueret; multoque opinor probabilior ea sententia est, qua nos illa aetate, quum Spartanorum respublica legibus constituta est, nullum inter cives discrimen obtinuisse omnesque ita pares fuisse statuimus, ut quum posterius ipsorum illorum institutorum neglectu nonnulli capitis deminutionem passi essent, reliqui, qui optimo civitatis jure porro fruerentur, hac ipsa de causa non praecipuo aliquo sed eo quod antiquitus omnibus competiisset *parium* nomine appellarentur. Id vero posterius demum per degenerationem internam, neque aut externa novorum civium accessione aut antiquo stirpis discrimine factum esse, omnium scriptorum, qui primordia reipublicae Lacedaemoniorum accuratius tractarunt, silentio certum est; neu quis ephororum originem, ut tribunorum Romae, a plebe aliqua inferiore derivet, et in proxima superiore disputatione de novis Lacedaemoniorum institutis satis mihi cavisse videor, et omnino cautum erit, modo illud recogitemus, quod omnis illorum historia declarat, non patriciorum nescio quorum sed regum coërcendorum causa ephoratum constitutum fuisse, qui quomodo universorum civium ipsorumque maxime Spartiatarum suspicionem movere potuerint, ex iis quae de statu Lacedaemoniorum ante Lycurgum disserui prodibit.

IV.

DISPUTATIO

DE CAUSIS

TURBATAE APUD LACEDAEMONIOS

AGRORUM AEQUALITATIS;

SCRIPTA

INDICENDIS NATALITIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORALIS

A. MDCCCXXXIV.

2)

I.

Quae ante hoc biennium de Homoeorum inter Lacedaemonios condicione atque origine disputavimus, eum exitum habuerunt, ut appareret turbata bonorum aequalitate juris quoque discrimina inter cives haud mediocria orta esse, quoque majoris momenti aequabilis illa agrorum descriptio inter Lycurgi instituta fuisset, eo plus detrimenti optimum reipublicae statum, quem is condidisset, ex illorum confusione accipere debuisse. Nam quo nihil funestius accidere civitati potest, eo demum pervenerant Lacedaemonii, ut legibus ipsis servandis legitimam reipublicae formam pessumdarent, quodque firmissimum libertatis atque aequalitatis omnium praesidium fore Lycurgus speraverat, mutato paulatim naturali fundamento in paucorum dominatum verteretur; dum magna civium pars, quos pari cum reliquis jure Lycurgus frui voluerat, nulla sua culpa propter solam paupertatem ex ipsis illius legibus omni fere reipublicae communione privaretur; quod quam vim habuerit, extremis regni temporibus apparuit, quum inter septingentos Spartanos, qui soli tum e novem millibus relicti erant, non plures quam centum agrorum vim universam et reipublicae administrationem fere soli tenerent, reliqui inopes aere-

que alieno obstricti victum manibus quaerere tantaeque prosapiae splendorem sordida opera dehonestare cogerentur [1]. Sed de hominum condicione ejusque causis satis illic disputasse mihi videor; de ipsius agrorum possessionis vicissitudine, quoniam longioris disputationis esse videbatur, in aliam opportunitatem quaerere distuleram; quam quum omnium nunc laetissimam faustissimamque nactus sim, ita usurpare constitui, ut primum quidem in ipsas constitutae a Lycurgo aequalitatis causas ejusque servandae subsidia atque adjumenta paulo accuratius inquiram, deinde vero rerum eventus persequar, quibus omnia illius consilia quamvis sollerter cauteque provisa irrita fieri remque eo adduci necesse fuerit, ut vel antequam leges ipsius mutarentur libramentum reipublicae insigniter turbari animique civium ad avaritiam, ambitionem, partiumque studia degenerare possent. Licet enim minime is sim, qui per septingentos amplius annos unis moribus et nunquam mutatis legibus Lacedaemonios vixisse oratoriae vanitati credam [2], hoc tamen persuasum habeo, neque legem ullam novatam esse, donec mores civitatis corrumpi aque pristina virtute atque modestia desciscere coepissent, neque mores corrumpi potuisse nisi quum ipsae leges coërcendis atque regendis hominum cupiditatibus pares amplius non essent; id quod in tanta institutorum om-

---

1) Plut. V. Agid. c. 5: *πενία τὴν πόλιν κατέσχεν ἀνελευθερίαν καὶ τῶν καλῶν ἀσχολίαν ἐπιφέρουσα μετὰ φθόνου καὶ δυσμενείας πρὸς τοὺς ἔχοντας. ἀπελείφθησαν οὖν ἑπτακοσίων οὐ πλείονες Σπαρτιᾶται καὶ τούτων ἴσως ἑκατὸν ἦσαν οἱ γῆν κεκτημένοι καὶ κλῆρον, ὁ δ' ἄλλος ὄχλος ἄπορος καὶ ἄτιμος ἐν τῇ πόλει παρεκάθητο κ. τ. λ.* Cf. de Homoeis not. 105.

2) Cic. pro Flacco c. 26; Liv. XXXVIII. 34.

nium prudentia mutuaque consensione externis tantum naturalibusque, ut ita dicam, causis evenire poterat. Quam igitur vulgo primariam ac principalem conversionis illius causam ferunt, Epitadei illius legem, qua et dono dare agros et testamento legare cuicunque animus ferret permissum est [3]), eam rem confecisse cumulumque addidisse bonorum confusioni facile concedo; sed originem dare inaequalitati certe non potuit, siquidem, ut recte monet Pastoretus [4]), unius hominis auctoritas ad tantae gravitatis legem perferendam non suffecit, nisi praesidium in publica morum depravatione habuisset; eumque jam Plato [5]) descripsit e pristina Lacedaemoniorum republica in oligarchiam transitum, ut primum ad luxuriem avaritiamque homines delabantur, deinde leges hunc in usum deflectant atque spernant. Sed hoc posterius; nam ne id quidem adducor ut credam, quod ex Platonis verbis et alii et ipse Plutarchus collegisse videntur, solam auri argentique abundantiam legum morumque corruptelae ansam praebuisse, nisi agrorum quoque aliqua inaequalitas vel accesserit vel antecesserit. Nolo repetere quod jam in superiore disputatione monui, non tam pecuniae vi quam agrorum modo antiquitus censos esse homines, nec si qui ditescere prae reliquis potuerint,

3) Plut. V. Agid. c. 5; conf. Manso Spart. T. III, P. 1, p. 263.

4) Histoire de la législation T. V, p. 498: *la colère d'un magistrat n'eût pas suffi pour obtenir du sénat et de l'assemblée générale l'assentiment nécessaire pour changer subitement une institution qui remontait à Lycurgue, si l'état moral où se trouvaient les Spartiates ne l'eût favorisé.*

5) Republ. VIII, p. 550 D: *πρῶτον μὲν γὰρ δαπάνας αὑτοῖς ἐξευρίσκουσι καὶ τοὺς νόμους ἐπὶ τοῦτο παράγουσιν ἀπειθοῦντες αὐτοί τε καὶ γυναῖκες αὐτῶν.*

apparere quomodo pauperiores alii facti sint, dum nec pretio vendere agros liceret idemque semper syssitiis conferendis modus praestitutus esset; concedam adeo, quod nonnullis placere video [6]), oppignerari licuisse vel ipsos agros vel reditus eorum, unde fieri poterat ut, qui solvere nomen stato die neglexisset, bonorum possessione excideret; sed primam hanc duplicandi patrimonii occasionem fuisse nego; qualis incrementi nisi jam antea naturali necessitate exempla introducta usuque recepta essent, solae divitiae ad tantam veteris instituti confusionem non suffecissent. Ac ne quis mihi Platonis auctoritatem objiciat, tenendum est Platonem eas tantum rerumpublicarum vicissitudines earumque causas describere, quae hominum e moribus ingeniisque repeti possint, quippe quae solae pares ubique appareant; quae ab externis causis rerumque natura quamvis necessario proficiscantur, quia ad singulas tantum civitates certas pertinere proque locorum nationumve indole variari videbantur, praetermisisse; neque de sola Lacedaemoniorum republica illic loqui, verum etiam de Cretensi [7]), quae quum plurima alia cum illa communia haberet, hoc ipso tamen in quo versamur aequalitatis instituto prorsus carebat [8]); quapropter mirum esse nequit, quod Plato neque ipsius instituti neque eorum quae cum eo conjuncta essent mentionem

---

6) Müller Dorier T. II, p. 209; Wachsmuth hellen. Alterthumsk. T. II, P. 1, p. 356.

7) Republ. VIII, p. 544 C: *εἰσὶ γὰρ ὡς λέγω, αἵπερ καὶ ὀνόματα ἔχουσιν, ἥ τε ὑπὸ τῶν πολλῶν ἐπαινουμένη ἡ Κρητική τε καὶ Λακωνικὴ αὕτη, καὶ δευτέρα καὶ* (leg. *ἡ*) *δευτέρως ἐπαινουμένη, καλουμένη δ' ὀλιγαρχία κ. τ. λ.*

8) Aristot. Politic. II. 7. 4. Athen. IV, 23. Polyb. VI. 47. 1.

ullam fecit. Eadem Xenophontis causa est [9]), qui et ipse de iis tantum corruptelae signis loquitur, quorum homines culpam sustinerent; quae tamen ipsa persuasum habeo vel omnino non exsistere vel certe non tam late grassari potuisse, nisi turbata bonorum aequalitate via iis munita aditusque ad civium animos patefactus esset. Cum aequalitate enim frugalitas atque abstinentia necessario conjuncta erat; ingruente demum inaequalitate delabi ad avaritiam ambitionemque poterant, quum quasi gustata dulcedine habendi ad plura semper acquirenda incitarentur indigneque ferrent jure sibi aequari qui possessione inferiores essent; quaeque divitum in gratiam novata esse dicuntur, institui non poterant, antequam summa in republica potentia ad divites pervenisset. Et hanc quidem oligarchiam recte appellabimus, cujus vim atque indolem apud antiquos non tam in paucorum quam in divitum dominatione positam fuisse sapienter Aristoteles admonuit [10]); Spartae certe pauci initio pauperes esse poterant; qui tamen si propter solam agrorum redituumque penuriam reipublicae administratione privarentur, merito oligarchia dici poterat, neque si semel bonorum inaequalitas radices egisset, exspectandum erat ut in aliquo numero modove consisteret, sed longius semper serpere eam necesse erat, donec divitiae ad paucos redirent, plebs

---

9) De republ. Lacedaem. c. 14 vel ex nova distributione Haasii (Berol. 1833) 15.

10) Politic IV. 3. 6: εἰ γὰρ εἴησαν οἱ πάντες χίλιοι καὶ τριακόσιοι, καὶ τούτων οἱ χίλιοι πλούσιοι, καὶ μὴ μεταδιδοῖεν ἀρχῆς τοῖς τριακοσίοις καὶ πένησιν, ἐλευθέροις οὖσι καὶ τἆλλα ὁμοίοις, οὐδεὶς ἂν φαίη δημοκρατεῖσθαι τούτους — μᾶλλον τοίνυν λεκτέον, ὅτι δῆμος μέν ἐστιν ὅταν οἱ ἐλεύθεροι κύριοι ὦσιν, ὀλιγαρχία δ' ὅταν οἱ πλούσιοι.

autem summa inopia atque egestate premeretur [11]). Singula sane oligarchiae vestigia atque incrementa difficilius Lacedaemone investigantur, ubi non ut in plerisque Graeciae civitatibus per vim et seditionem rerum illa conversio facta est, sed sensim sensimque legibus ipsis vel adjuvantibus vel certe non prohibentibus irrepsit; sed prima ejus fundamenta circa belli Peloponnesii tempora jacta esse vel illud Agidis Agesilai nepotis dictum ostendit, qui quum querentem de rerum omnium confusione atque subversione quae Spartae fieret audivisset, easdem querelas respondit jam patris avique sui aetate jactas esse [12]); neque omnino violentis consiliis caruisse, Lysandri exemplum prodit, qui quod animo agitasse fertur, ut sublata regia potestate summum imperium in medio poneretur, procul dubio non ad democratiam, sed ad oligarchiam, Homoeorum videlicet, spectabat [13]). Cur enim adversarios sibi habuisset ephoros, quos quum alioquin minuendae regum auctoritatis studiosissimos norimus, nunc regibus contra ipsum favere videmus [14]), nisi plus ab illo quam a

11) Aristot. Politic. III. 10. 8: ἀεὶ γὰρ εἰς ἐλάττους ἄγοντες δι' αἰσχροκέρδειαν ἰσχυρότερον τὸ πλῆθος κατέστησαν.

12) Plut. Apophthegm. Lacc. p. 191 T. VIII ed. Hutt.: φήσαντος δέ τινος τῶν πρεσβυτέρων πρὸς αὐτὸν γηραιὸν ὄντα, ἐπειδὴ τὰ ἀρχαῖα νόμιμα ἐκλυόμενα ἑώρα, ἄλλα δὲ παρεισδυόμενα μοχθηρά, διότι τὰ ἄνω κάτω γίνεται ἐν τῇ Σπάρτῃ, παίζων εἶπε· κατὰ λόγον οὕτω προβαίνει τὰ πράγματα, εἰ τοῦτο γίνεται· καὶ γὰρ ἐγὼ παῖς ὢν ἤκουον παρὰ τοῦ πατρός, ὅτι τὰ ἄνω κάτω γέγονε παρ' αὐτοῖς, ἔφη δὲ καὶ τὸν πατέρα αὐτῷ παιδὶ ὄντι τοῦτο εἰρηκέναι.

13) Ibid. p. 229: ὡς χρὴ τῶν Εὐρυποντιδῶν καὶ Ἀγιαδῶν τὴν βασιλείαν ἀφελομένους εἰς μέσον θεῖναι καὶ ποιεῖσθαι τὴν αἵρεσιν ἐκ τῶν ἀρίστων, ἵνα μὴ τῶν ἀφ' Ἡρακλέους ἀλλ' οἷος Ἡρακλῆς τῇ ἀρετῇ κρινομένων τὸ γέρας ᾖ.

14) Xenoph. Hellen. II. 4: ὥσπερ γὰρ νομίζεται σὺν βασιλεῖ δύο τῶν ἐφόρων ξυστρατεύεσθαι, καὶ τότε παρῆν οὗτος καὶ ἄλλος, ἀμφότεροι τῆς μετὰ Παυσανίου γνώμης ὄντες μᾶλλον ἢ τῆς μετὰ Λυσάνδρου.

regia dignitate communi omnium aequalitati metuissent? Neque aliunde explicari potest insigne illud praesidium, quod apud Lysandrum ejusque amicos reliquarum civitatum oligarchici invenerunt; non prisci illi optimates, quibus publice auxilia mitti a Lacedaemoniis contra tyrannos seditiosamque plebem saepe antiquior aetas vidit, sed ipsi seditiosissimi homines, qui soli dominari in patria sua vellent neque minus a pristina aristocratiae formula degenerassent quam ab eodem inde tempore Lacedaemone quoque factum est; quorum tamen tantum abfuit ut Lacedaemonii, quales etiam tum erant, publice rationes comprobarent, ut missos esse ab ephoris audiamus qui decarchias ab ipso Lysandro per socias urbes institutas tollerent [15]. Possit quidem temerarium videri, si quis nunc internas Lacedaemoniorum vicissitudines aperire conetur, quas illi vel aequalibus tanta cum diligentia occulebant, ut hi Persarum Aegyptiorumque res melius quam popularium suorum nossent; sed licet hinc parata sit excusatio, ubi non omnia, quae rei ipsius verisimilitudine ducti affirmamus, disertis veterum testimoniis confirmari poterunt, hoc tamen vel in tanta vestigiorum tenuitate apparet, Lacedaemonios ipso belli Peloponnesii tempore partium studiis ita agitatos fuisse, ut nec sibi ipsis nec priscae reipublicae descriptioni amplius constarent. Neque extremis tantum belli annis accidit, ut singulorum annorum magistratus quique ab iis mitterentur duces, ut Callicra-

15) Ibid. III. 4. 2. De decarchiis ipsis v. Morum ad Isocr. Paneg. c. 32 nosque in Lehrb. der griech. Staatsalterth. §. 39, n. 7.

tidam atque Lysandrum novimus, diversissimas rationes sequerentur; sed antea quoque cum novis ephoris simul omnia superioris anni consilia mutari et contraria occipi videmus [16]); ut veri simillimum sit jam tum duas factiones inter se contendisse, quarum altera pristinae reipublicae condicioni tuendae unice intenta otium cum dignitate sequeretur a bellisque praeter necessitatem gerendis abhorreret, altera vero novarum rerum studiosa novam semper bellandi materiem arriperet, neque Graeciam ipsam armis obtinere contenta quam longissime a patriae finibus propagare bella studeret, quibus et avaritiam et ambitionem suam explere posset [17]), maritimis quoque expeditionibus tentatis, quarum pericula pestiferosque exitus jam Pausaniae ac Leotychidae tempore Lacedaemonii experti erant. At illa corruptela ad paucos tantum eosque reges pertinuerat, quos notum est neque eadem cum reliquis disciplinae severitate [18]) neque bonorum aequalitate adstrictos fuisse [19]); reliqui omnes nimis adhuc pristinae frugalitati adsueti erant quam ut tantis se exemplis seduci paterentur, nimisque clare sentiebant quid e re

16) **Thucyd. V. 36:** *ἔτυχον γὰρ ἔφοροι ἕτεροι καὶ οὐκ ἐφ' ὧν αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο ἄρχοντες ἤδη καί τινες αὐτῶν καὶ ἐναντίοι σπονδαῖς.*

17) **Xenoph. rep. Lac. 14, 2:** *οἶδα γὰρ πρότερον μὲν Λακεδαιμονίους αἱρουμένους οἴκοι τὰ μέτρια ἔχοντας ἀλλήλοις συνεῖναι μᾶλλον ἢ ἁρμόζοντας ἐν ταῖς πόλεσι καὶ κολακευομένους διαφθείρεσθαι. — νῦν δ' ἐπίσταμαι τοὺς δοκοῦντας πρώτους εἶναι ἐσπουδακότας ὡς μηδέποτε παύωνται ἁρμόζοντες ἐπὶ ξένης.*

18) **Plut. V. Agesil. c. 1:** *ταύτης ἀφίησιν ὁ νόμος τῆς ἀνάγκης τοὺς ἐπὶ βασιλείᾳ τρεφομένους παῖδας.*

19) **Xenoph. rep. Lac. 15, 3:** *ἔδωκε δὲ καὶ γέρα ἀπὸ τῶν θυομένων λαμβάνειν καὶ ἐν πολλαῖς τῶν περιοίκων πόλεων ἀπέδειξεν ἐξαίρετον τοσαύτην, ὥστε μήτε δεῖσθαι τῶν μετρίων μήτε πλούτῳ ὑπερφέρειν.* **Conf. et Her. VI, 57.**

publica esset, quam ut morum conservandorum gratia vel gloriae dominationisque spem deponere recusarent; Peloponnesii contra belli tempore erant quidem qui iisdem rationibus ducti ambitiosorum hominum studia quocunque modo coërcere tentarent, multo tamen major contrariae partis et numerus et auctoritas fuisse videtur, cujus tanta vis fuit in civitate, ut ipsi privatorum avaritiae et cupiditati respublica exemplo suo praeiret [20]. Neque fieri potuisset ut singuli divitiis corradendis operam darent, nisi publice iis occasio praeberetur, unde apparet pristinae temperantiae conversionem avarorumque et ambitiosorum hominum potentiam non tam prodiisse e Lysandri aequaliumque ejus expeditionibus bellicis, quam has ipsas antecedere debuisse, quae nisi jam prorsus mutatis post bella Persica moribus reique publicae administrandae rationibus susceptae omnino non fuissent. Tantum igitur abest ut vel opes a Lysandro Spartam advectae vel lex ab Epitadeo lata primam mutandi pristini status occasionem praebuerint, ut utrumque ex mutata demum reipublicae condicione explicationem accipiat, cujus mutationis inter bella Persica Peloponnesiumque factae primarias causas in turbata bonorum aequalitate nostro quodam jure quaerere nobis videmur; quod si vere statuimus, disputatio nostra, quam huic ipsi libello proposuimus, nec temere suscepta neque ad cognoscendas Lacedaemoniorum vicissitudines inutilis fuerit.

20) Plat. republ. VIII, p. 548 A: πρὸς πόλεμον μᾶλλον πεφυκότας ἢ πρὸς εἰρήνην καὶ τοὺς περὶ ταῦτα δόλους καὶ μηχανὰς ἐντίμως ἔχειν . . . ἐπιθυμηταὶ δέ γε χρημάτων οἱ τοιοῦτοι ἔσονται ὥσπερ οἱ ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις καὶ τιμῶντες ἀγρίως ὑπὸ σκότου χρυσόν τε καὶ ἄργυρον κ. τ. λ. Conf. Müller. Dor. T. II, p. 210 nosque l. l. §. 46, n. 12 sqq. et §. 47, n. 6.

II.

Sed ad hanc disquisitionem properantes nos reprehendit recens Kortümii disputatio [21]), qui ejusmodi agrorum distributionem, qualem Plutarcho teste ab initio Lacedaemone fuisse statuimus, omnino factam esse a Lycurgo negat tamque hac de re quam de Homoeis et quae praeterea ad eam quaestionem pertinent, ita disputat, ut si verum ille viderit, omnis nostra opera irrita temereque suscepta sit futura. Qua in causa illud maxime dolemus, quod is superiorem nostram dissertationem cognitam habuisse non videtur; sic enim defendenda nostra sententia satagere possemus, nunc ad ipsa illius argumenta oppugnanda descendendum est. Quanquam de Homoeis, quorum et nomen et principatum a primis inde reipublicae Spartanae incrementis repetiit, argumenta non magis attulit quam Plassius, qui nuper [22]) e tribus illis Doriensium tribubus, quum reges ex Hyllensibus essent, Homoeos eosdem cum Dymanibus fuisse, Pamphylis τοὺς ὑπομείονας respondisse ea cum fiducia pronunciavit, ut nisi a Delphico haec Apolline acceperit, unde leges suas Lycurgus petiisse traditur, vix dignam tanta temeritate atque confidentia reprehensionem inveniamus. Nullum ante Xenophontis aetatem Homoeorum vestigium exstat, ὑπομειόνων nomen semel tantum et apud eundem legitur; unde si quis testimonium de nobilitatis aliqua jurisque diversitate petere voluerit, quae ad antiquissimam Lacedaemoniorum rei

21) Wesen und Schicksal der dorisch-lakonischen Ackergesetzgebung, in Schlossers und Berchts Archiv für Geschichte und Literatur, Tom. IV (Francofurt. 1833) p. 183—180.

22) Vor- und Urgeschichte der Hellenen (Lips. 1832) Vol. II, p. 94.

publicae coudicionem pertineat, ne ille tempora misere confundat, quoque nihil historiae perniciosius esse potest, aliunde petitis normis ad rerum gestarum proprietates metiendas abutetur. Atque longius etiam Kortümius processit; qui Germanarum gentium moribus institutisque ad antiquissima Doriensium tempora translatis nescio quem comitatum sibi finxit regium, unde postea acceptis a principum liberalitate quasi feudali titulo agris nobilitas aliqua exstiterit a plebe libera diversa atque discreta, donec Messeniaci belli tempore pari perioecorum numero in civitatem recepto Dorienses inter se jure aequarentur pariumque nomine novis civibus tanquam paulo inferioribus opponerentur; eamque τῶν ὁμοίων et ὑπομειόνων, qui postea inveniuntur, originem fuisse perhibet! Eo usque procedere poterat homo alioquin et ingeniosus et doctus hercle inque antiquitate Graeca cum primis versatus, dum externam speciei similitudinem captans diversissimorum et temporum et gentium ingenia permiscet veterisque memoriae lacunas undique congestis pannis sarcire atque redintegrare conatur! At reliqua, quae temere ille testimoniisque antiquis mirum in modum laceratis atque contortis effudit, alio tempore exagitabimus, quum nostram ipsi sententiam de pristino Lacedaemoniorum ante Lycurgum statu ita excoluerimus, ut singulatim eam proponere audeamus; audaciam hominis caecitatemque temerariis opinionibus procreatam satis jam demonstrabunt ea quae de ipsa agrorum distributione apud Lacedaemonios disseruit. Et primum quidem, quem statim in disputationis suae limine posuit comitatum illum regium, qualis apud veteres Germanos fuit,

Doriensibus unde vindicaret unum attulit locum Isocratis in Archidamo [23]), ubi Herculis posteri dicuntur, antequam expeditionem in Peloponnesum susciperent, iis qui signa sua sequi vellent agros suos communiter divisisse, in ejusque facti pretium regiam dignitatem ab illis accepisse; quod quantopere a prisca regiae potestatis origine apud Graecos recedat oratorieque magis ad suae aetatis captum quam historica fide ad rerum gestarum veritatem dictum sit, neminem fugiet, qui et antiquitates Graecas et Isocratis ingenium recte norit. Sed ut missis his omnibus vera narrasse Isocratem concedamus, nihil aliud narrat nisi pactionem inter reges exercitumque suum factam, unde quomodo sequatur, ut duo hominum genera nobilitate diversa Heraclidas duces secuti sint Peloponnesumque Dorienses juncto cum comitatu exercitu populari occuparint, quae illius verba sunt [24]), prorsus non intelligo. Patriciarum gentium nullam inter Dorienses mentionem exstare jam in superiore disputatione monui, parique omnes eorum tribus jure fuisse vel inde apparet, quod quum Hyllenses, quorum e numero reges fuisse probabilis conjectura est, ab Hyllo Herculis filio originem ducerent, reliquae duae ad Aegimii regis filios referebantur, a quo ipse Hercules quasi in Doriensium civitatem receptus esse tertiamque agrorum partem acce-

23) Cap. 7 (§. 20 ed. Bekk.): *τὸ στρατόπεδον συστησάμενοι τὴν μὲν ἰδίαν χώραν εἰς τὸ κοινὸν τοῖς συνακολουθήσασιν ἔδοσαν, τὴν δὲ βασιλείαν ἐξαίρετον αὐτοὶ παρ' ἐκείνων ἔλαβον, ἐπὶ δὲ τούτοις πίστεις ἀλλήλοις δόντες ἐποιοῦντο τὴν στρατείαν.*

24) Pag. 184. *Die Dorier eroberten den Peloponnes durch Verbindung des Heerbanns mit den Gefolgschaften, bleibt für die Erklärung der agrarischen Ordnungen der leitende Gesichtspunct.*

pisse tradebatur [25]); quod quamvis et ipsum fabulose narratum sit, originem tamen e genuina nationis condicione traxit neque fundamento historico caruit; quam autem Kortümius — Plassium enim tacere praestat — gentis distributionem proponit, ut Hyllensium tribus reges cum comitatu, secunda, quam Doriensium appellat, plebem liberam, tertia Pamphylorum peregrinos in civitatem receptos tenuerit, neque testimonio ullo vetere confirmatur certisque antiquitatis vestigiis prorsus contraria est [26]). Peregrinos quidem homines Doriensibus permixtos in Peloponnesum descendisse eo facilius concedimus, quum in omnibus illius aetatis expeditionibus coloniarumque deductionibus diversissimarum gentium colluviem convenisse videamus, qualem tot tantisque regnis per continuas rerum conversiones bellaque internecina eversis oriri necesse erat [27]), neque mag-

25) Conf. Heynius ad Apollodor. II, 7. 7 et 8. 3; Boeckh. ad Pindar. Pyth. I. 121 (expl. p. 231).

26) Dorienses illos suos, quos Dymanum in locum substituit (p. 142), ex Aristophanis scholiasta (ad Plut. v. 385) depromsit, qui tamen quum non Dymanes, ut Kortümius, sed Hyllenses omiserit, quos omitti non posse quivis intelligit, Kortümii opinionem testimonio suo neutiquam confirmat, neque omnino adhiberi in testimonium debebat, quum turpi errore gentis nomen cum tribubus confuderit, ut dudum jam summus Hemsterhusius (p. 414) recte animadvertit. Dymanes autem, quos pagum potius quam tribum fuisse Kortümius contendit, non Spartanorum modo sed Doriensium omnium φυλὴν fuisse et Herodotus (V. 68) et Stephanus Byzantius (s. v. Δυμᾶν) liquido tradunt, eandemque et Sicyone et Argis reperimus (Boeckh. corp. inscript. I, p. 579, n. 1123), unde fit ut vix ad certam aliquem locum referri possit, qui pago nomen suum dederit; Hesychium, qui omnino pagos cum tribu confudit (v. Πιτάνα et Κυνόσουρα), contra tot testes audire non possumus.

27) Quanta hominum colluvies ad Ionum colonias convenerit, Herodotus (I. 146) tradit; eadem causa Aeoliensium fuit, quorum vel nomen inde ortum tradebant, διὰ τὸ ἐκ

nopere repugnamus, quo minus inde Pamphylorum nomen derivetur [28]); sed de nobilitatis inde jurisque diversitate orta ne in reliquis quidem civitatibus quidquam constat, nedum Spartae, ubi Aegidae, Thebana stirpe oriundi, summo loco fuisse traduntur [29]), neque ullum ab initio condicionis civilis discrimen nisi inter victores ac victos antiquitatis testimoniis comprobari potest. Quam igitur causam Kortümius novae agrorum distributionis a Lycurgo institutae perhibet, ut bellum civile inter nobiles opulentos, qui soli urbem tenerent regumque beneficio clientes tributarios haberent, plebemque Doricam, quae cum Achaeis victis permixta agros incoleret, prohiberetur [30]), eam nullam omnino esse facile apparet; multoque melius ita procedemus, ut, quum in universum certum esse videatur, non omnia nova Lycurgum instituisse, sed pristinos mores atque instituta gentis revocasse novisque artibus sanxisse [31]), illius quoque instituti radices in prisca Doriensium natura et condicione anquiramus. Longe enim alia hujus nationis quam aliarum ratio fuit, quae quum fere a primordiis suis inde variis casibus jactata aliasque ex aliis terras petere coacta es-

---

πολλῶν ἐθνῶν συνηθροῖσθαι (Etymol. Magn. p. 37. 26); ipsaeque Doricae coloniae, quae Cretam occuparunt, ex plurimis hominum generibus mixtae erat (Hoeck Kreta, T. II, p. 420 sequ.) Adde Cyrenaeos apud Herodotum IV. 161 cum nota Baehrii T. II, p. 563.

28) Approbavit hoc consensu suo Schömannus antiqu. jur. publ. p. 104, not. 3.

29) Herodot. IV, 147—149: *Αἰγεῖδαι φυλὴ μεγάλη ἐν Σπάρτῃ.*

30) P. 138: *nur eine neue auf Billigkeit und Bedürfniss der Zeitlage gegründete Akkervertheilung — durfte dem Ausbruch eines allgemeinen Bürgerkrieges zwischen verarmten dorisch-achäischen Wohnern des Flachlandes und dorischem Stadtadel vorbeugen!*

31) Müller Dorier T. II, p. 14 sequ. Schlosser Universalhistor. Uebersicht der Gesch. der alten Welt T. I, P. 1, p. 370.

set [32]), ad eam inaequalitatis formam, quam fixis in sedibus naturaliter oriri singulisque hominum aetatibus augeri videmus, pervenire omnino non potuit; siquidem novos semper agros nanciscebatur, qui ut pari omnium virtute atque fortitudine occupati fuerant, ita et pariter omnibus cedere communique jure aequaliter dividi debebant, neque Peloponueso expugnata aliter factum esse consentaneum est [33]); unde apparet, si qua deinde bonorum ibi differentia inveniatur, negligentia potius rerumque humanarum vicissitudine irrepsisse, quam hereditario jure a majoribus traditam fuisse (vid. infr. not. 41). Neque tautam fuisse Lycurgi temporibus inaequalitatem persuadere nobis possumus, ut seditiones inde civilesque discordiae metuendae essent; quam si quis inde repetere voluerit, quod non uno impetu totam Laconicam captam sed paulatim tantum subactam esse constare videatur [34]), unde multum agrorum et postmodo accessisse Spartanorum ditioni consentaneum sit, multo facilior erit conjectura, non inter diversas nescio quas civium factiones, sed populum inter regesque concertatum esse, quum horum publicari eos agros, singulis civibus distribui illius magis interesset. Quanquam hoc in conjectura tautum positum est: illud tamen disertis

32) Herod. I. 56: ἔθνος πολυπλάνητον κάρτα κ. τ. λ.

33) Eadem sententia est jam Heynii de Spart. republ. et instit. in Comm. Societ. Gott. T. IX, p. 13: *quod si a Lycurgo ipso illatum est, Spartanorum republica dudum constituta, potuit vix habere magnam commendationem; verum probabile fit, revocatam ab eo esse priscam occupatae Laconicae inter stirpes et familias descriptionem agrique distributionem.*

34) Müller Dorier T. 1, p. 91 sq.

non modo Plutarchi sed multorum testimoniis traditur [35]), summas ante Lycurgum quum in reliquis Doriensium civitatibus tum Spartae inter reges et populum contentiones exstitisse, idque potissimum Lycurgo in ordinanda republica propositum fuisse, ut certis omnium finibus descriptis concertationum illarum materiam undequaque tolleret frenosque utrorumque cupiditatibus imponeret: neque id negare Kortümius [36]) ausus est: attamen ne in ipso populo studiorum discrimen hac in causa nullum esset, pauperes homines de plebe Doriensium regum partibus adjunxit, adversarios autem regibus optimates dedit divites ac potentes, nempe eosdem, quos modo e comitatu regio profectos opes suas atque potentiam a regali munificentia accepisse statuerat! Scilicet fraudi ei fuit, quod, quum Dorienses inter Achaeosque victos similis ratio intercederet, qualis in aliis rebuspublicis optimatibus cum plebe erat [37]), ipse Doriensium populus nobilium opulentorumve, perioeci contra plebis nomine significari poterant (vid. infr. not. 47); unde factum est, ut quum in ipsis illis concertationibus perioecorum potissimum opera contra populum suum reges usi esse videantur, serioris aevi scriptores, qui facta tantum cognovissent, causas ignorarent, ambiguos fontes secuti ita loquerentur, quasi reges propter nimiam popularitatem optimates

---

35) Cf. Plat. legg. III, p. 690 D: *πῶς τε καὶ τί παρὰ ταῦθ᾽ ἁμαρτάνοντες οἱ περὶ τὸ Ἄργος καὶ Μεσσήνην βασιλῆς αὑτούς ἅμα καὶ τὴν τῶν Ἑλλήνων δύναμιν οὖσαν θαυμαστὴν ἐν τῷ τότε χρόνῳ διέφθειραν; ἆρ᾽ οὐκ ἀγνοήσαντες τὸν Ἡσίοδον ὀρθότατα λέγοντα ὡς τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς πολλάκις ἐστὶ πλέον;* pluraque in disp. de statu Laced. ante Lycurgum p. 11 sqq.

36) P. 137: *Die reichsten und mächtigsten Geschlechter erhoben sich nicht selten gleichzeitig gegen den König und die ärmern Heerbannisten!*

37) Lehrbuch der griech. Staatsalt. §. 60.

infestos habuissent, ut v. c. de Cresphonte Pausanias, adeo tamen parum sibi constans, ut Argivorum in regibus, quorum eandem cum Messeniis causam esse recte Kortümius intellexit, prorsus contraria loquendi ratione uteretur. Sed haec alio tempore longius persecuti sumus [38]), nunc satis nobis disputasse videmur ad demonstrandum, adeo nullam esse illam, quam temere sibi Kortümius finxit, ante Lycurgi tempora inter Spartanos inaequalitatem, ut nihil inde argumenti contra Plutarchi narrationem de aequali agrorum distributione a Lycurgo facta repeti possit; nec quae praeterea ad infirmandam Plutarchi fidem adhibuit [39]), licet paulo majorem veri speciem habeant, re accuratius inspecta disputationis nostrae fundamentum labefactabunt. Primum enim quod ex ingenio magis expictam perfectae reipublicae imaginem Lycurgo tribuisse, quam historica fide rem ut gesta sit tradidisse Plutarchum arguit, facile largior vitarum scriptorem philosophico potius quam historico ingenio Spartanorum instituta dijudicasse multaque tanta cum licentia exornasse, ut veram Lycurgeae aetatis indolem prorsus incognitam ipsi fuisse appareat; sed aliud est, opinor, male judicare, aliud rem contra antiquitatis testimonia fictam pro vera proponere, quo perfidiae crimine nemo certe magis Plutarcho liberandus est; utque multa in ipsum Lycurgum ille contulerit, quae postera demum aetate orta esse constet — talia enim quam maxime ei Kortümius exprobrat — num ea re

38) Cf. disput. cit. p. 23 sqq.

39) P. 151—158: *Ueber die angebliche Gleichheit der lykurgischen Ackerloose und die Grundsätze der lakonischen Landanweisung.*

agrorum aequalitas tollitur, quae nisi a Lycurgo instituta fuit, posteriori certe tempori originem suam debere omnino non potuit? Neque solus hanc Plutarchus tradidit; quem quod antiquiorum testimoniis carere calumniatur, primum quidem oblitus est Plutarchum, aequalium suorum longe doctissimum, quaecunque narraret, ex antiquioribus scriptoribus hausisse, quorum etiamsi libri deperditi sunt, nomina tamen haud exigua ad nos pervenerunt [40]); sed quid de Platone dicet, qui non modo aequalitatem bonorum apud Spartanos confirmat, verum etiam pristinum omnium Doriensium in Peloponneso institutum fuisse testatur [41]), quod quum in reliquis eorum civitatibus evanuisset, Spartae tantum Lycurgi beneficio servatum sit? Polybium ipse intellexit Plutarcho testem accedere [42]); cujus tamen quum fidem elevare non posset, verba detorquere conatus est, quasi rumorem tantum aliquem secutus tradat, quae utique nisi fando accipere non potuerat, modumque tantum aliquem agrorum, quem excedere non licuisset, narret, quum liquido scriptum legatur parem agrorum portionem omnes cives habuisse: πολιτικὴν autem χώραν, quam Polybius dicit, id est civibus non perioecis assignatam [43]),

---

40) Conf. Heeren de fontibus et auctoritate vitarum Plutarchi (Gott. 1820) p. 19 26.

41) Legg. III, p. 684 D: οὐκ ἦν τοῖς νομοθέταις ἡ μεγίστη τῶν μέμψεων ἰσότητα αὐτοῖς τινὰ κατασκευάζουσι τῆς οὐσίας, ἥπερ ἐν ἄλλαις νομοθετουμέναις πόλεσι πολλαῖς γίγνεται, ἐάν τις ζητῇ γῆς τε κτῆσιν κινεῖν καὶ χρεῶν διάλυσιν — τοῖς δὲ δὴ Δωριεῦσι καὶ τοῦθ' οὕτως ὑπῆρχε καλῶς καὶ ἀνεμεσήτως, γῆν τε ἀναμφισβητήτως διανέμεσθαι, καὶ χρέα μεγάλα καὶ παλαιὰ οὐκ ἦν κ. τ. λ.

42) Polyb. VI. 45. 3: τῆς μὲν δὴ Λακεδαιμονίων πολιτείας ἴδιον εἶναί φασι πρῶτον μὲν τὰ περὶ τὰς ἐγγαίους κτήσεις, ὧν οὐδενὶ μέτεστι πλεῖον, ἀλλὰ πάντας τοὺς πολίτας ἴσον ἔχειν δεῖ τῆς πολιτικῆς χώρας.

43) Sic apud Aristotelem (Eth. Nic. III. 8. 9) τὰ πολιτικὰ significat civium copias

pravissime intellexit de agro publico, quem κοινὴν potius Graeci appellarunt; quanquam non nego pariter ut helotae a nonnullis publici servi appellentur [44]), agros quoque pro publicis haberi potuisse, quorum fructus tantum privati perciperent, liberum dominium neutiquam haberent. Atque hinc etiam illud argumentum refutari potest, quod Plutarcho Kortümius opposuit, nondum tantam agrimensoriae artis peritiam Lacedaemonios habuisse, ut totam regionem in triginta novem millia portionum aequaliter dividere possent; neque pares sibi in hac ipsa aequalitate singulos cives futuros fuisse, quum alii aliis fertilitate tractus praestarent; sponte enim patet non tam spatia agrorum quam reditus aequatos esse, quodque in simili causa Plato instituit [45]), ut singulorum sortes non uno tractu continuarentur, sed pro situs discrimine dirimerentur, Spartae quoque servatum fuisse veri haud absimile est. Id quidem recte Kortümius monuit, quod tamen jam ante eum alii ipso adeo Plutarcho duce intellexerunt [46]), nondum potuisse Lycurgi aetate totum illum triginta novem millium numerum impleri, quum nondum omnis quam postea habuerunt ditionem a Spartanis perdomita esset; quod autem Plutarchum Isocrati repugnare dicit, qui minorem tantum agrorum partem perioecis

---

mercenariis oppositas, ut apud ipsum etiam Polybium saepissime πολιτικοὶ ἱππεῖς, πολιτικὸν πλῆθος, πολιτικοὶ νεανίσκοι, non privatis sed peregrinis oppositi; item πολιτικὸς χορὸς in inscriptione apud Boeckhium T. I, p. 768, non publicus sed qui e civibus tantum constet etc. Idem error est Kortümii zur Geschichte etc p. 17.

44) Pausan. III. 20. 6: Λακεδαιμονίων δοῦλοι τοῦ κοινοῦ.

45) Legg. V, p. 745 C: ἔτι δὲ δεῖ γίγνεσθαι τὰ δώδεκα μέρη τῷ τὰ μὲν ἀγαθῆς γῆς εἶναι σμικρά, τὰ δὲ χείρονος μείζω κ. τ. λ.

46) Plut. V. Lycurg. c. 8; cf. Müller. T. II. p. 191 et disput. de novis Laced. institt. p. 38.

relictam esse, optimam et maximam sibi Dorienses vindicasse recte tradidit, nusquam certe Plutarchus Perioecorum sortes Spartanis pares autumat, id quod vel ideo fieri non poterat, quia tot helotarum capita inde praeter Spartanos vitam sustentabant. Sed hoc a nostra quaestione alienum est; illud autem Isocrates etiam disertius Plutarcho affirmat, nullum vel juris vel rei familiaris inter ipsos Spartanos discrimen obtinuisse [47]; qui licet et ipse amplificandi exornandique studio interdum ultra veritatis fines abripiatur, tamen in tanto testium consensu eo magis adhiberi contra Kortümium potest, quo plus hunc ipsum ei tribuere videmus. Unum restat Kortümii argumentum, omnium facile gravissimum, quod negat instituere Lycurgum potuisse, quae praevidere debuerit post paucas hominum aetates quum naturali necessitudine tum aliis simul ab ipso institutis turbatum iri; qua in re licet in eo lapsus sit, quod ea quoque, quae ex Epitadei demum lege provenerunt, Aristotelis dicto negligentius prolato inductus ad ipsum Lycurgum retulit [48], sat multae tamen difficultates remanent, quibus expediendis longiore disputatione

---

47) Panathen. c. 73 (§. 178 Bekk): *παρὰ σφίσι μὲν αὐτοῖς ἰσονομίαν καταστῆσαι καὶ δημοκρατίαν τοιαύτην, οἵαν περ χρὴ τοὺς μέλλοντας ἅπαντα τὸν χρόνον ὁμονοήσειν· τὸν δὲ δῆμον περιοίκους ποιήσασθαι* κ. τ. λ.

48) Aristotelis locus, quem Plutarchus opponit p. 157, est Politic. II. 6. 10: *διδόναι δὲ καὶ καταλείπειν ἔδωκε τοῖς βουλομένοις*: quem tamen jam Müllerus (Dorier T. II, p. 194) monuit suae aetatis instituta perperam ad Lycurgum auctorem retulisse. Scilicet idem ei accidit quod Polybio, qui dum aequalium sibi Cretensium mores institutaque reprehendit, veterem Minois rempublicam taxare se arbitratur; quod tamen eo facilius evenire poterat, quo pertinacius et Lacedaemonii et Cretenses, quamvis a prisca legum observantia degenerassent, legislatorum suorum nomina laudesque jactabant, eorumque institutis respublicas suas unice niti gloriabantur.

opus sit. Ea vero ad nostrum quoque propositum quam maxime pertinet, quod quum eam vim habeat, ut turbatae aequalitatis caussas cognoscamus, id ipsum ante omnia postulat ut anquiramus, quibus rationibus fretus Lycurgus ad illam instituendam accesserit quibusque artibus conturbationem ejus prohibere in posterum conatus sit; quapropter jam misso Kortümio in viam redire ipsamque nostram quaestionem accuratius exsequi licebit.

III.

Multos jam haec quaestio exercuit, qui quum animadverterent, quantum momenti in Lacedaemoniorum republica agrorum illa aequalitas habuisset, jure mirabantur, quomodo huic potissimum fundamento legislator instituta sua imponere ausus esset, quod omnium maxime variabile innumerisque rerum vicissitudinibus obnoxium esse videretur [49]. Licet enim et venumdari bona et dono dari vetuisset, tamen ipso jure hereditario ajunt, sive complures aliquis liberos sive nullos sive feminas tantum reliquisset, vel distribuendo minui singularum familiarum patrimonia, vel adjungendo augeri aliarum portiones necesse fuisse, quorum utrum perniciosius reipublicae fu-

49) Heynius in Comm. Gott. T. IX, p. 14: *Inter haec multa sunt, quae quum eorum in scriptoribus nulla memoria suppetat, haud facile expediri possunt. Quid enim de sortibus ad certum numerum definitis factum, si civium numerus aut auctus fuit aut imminutus? si patris familias stirps aut minor fuit quinque liberis aut major? Quid si morte unius ex liberis sors fuit vacuefacta possessore? an omnino sors vacuefacta rediit in reipublicae possessionem et alii fuit civi assignata? Porro sortium numero semel constituto licuitne patri familias agrum pro liberorum capitibus in aequas portiones dividere, an filio natu maximo universa familia permissa est, ut tamen fratres inde aleret? At enim, si Heraclidis auctoritatem sequimur, in partes dividere agros non licuit* etc.

turum esset decerni vix poterat; mitto alios casus, qui etiam si non ipsum agrorum modum, at reditus tamen imminuere poterant, inundationes, tempestates, pestilentias; sed bellis gerendis quantum hominum absorberi conseutaneum erat? His autem dum prospicit legislator, praemiisque propositis liberorum procreationem provocat, rursus in civium numero immodice augendo periclitatur; ut operae pretium sit quaerere, quomodo ad utriusque fortunae casum paratam aequabilique ut agrorum ita et civium numero sibi constaturam rempublicam reliquerit. Quae autem ea de re a recentioribus prolatae sunt sententiae, earum quae plurimis placuerunt duae vereor ne ita comparatae sint, ut nec Lycurgo neque ulli antiquitatis legislatori tuto tribui possint; si quidem alii [50]), feudalium ut videtur institutorum similitudine seducti, unum tantum eumque maximum natu filium in bona patris successisse, juniores vel orbarum matrimoniis vel communione aliqua bonorum vitam sustentasse statuerunt [51]);

---

50) Ubbo Emmius in Graec. rebus publ. (Lugd. B. 1632) T. I, p. 268 seq. De Pauw recherches philosophiques sur les Grecs (Berl. 1787) T. I, p. 259 et 268. Barthélemy voyage du jeune Anacharsis chap. 45. Manso Sparta T. I, P. 1, p. 121. Müller Dorier T. II, p. 193. Kortüm apud Schlosserum l. c. p. 162. Lachmann spartan. Staatsverf. p. 172. Schömann antiqu. jur. publ. p. 117.

51) Barthélemy l. c. T. IV, p. 103: *Suivant les lois de Lycurgue un chef de famille ne pouvoit ni acheter ni vendre une portion de terre; il ne pouvoit ni la donner pendant sa vie, ni la léguer par son testament a qui il vouloit; il ne lui étoit pas même permis de la partager; l'ainé de ses enfans recueilloit la succession, comme dans la maison royale l'ainé succède de droit à la couronne. Quel étoit le sort des autres enfans? Les lois qui avoient assuré leur subsistance pendant la vie du père, les auroient elles abandonnés après sa mort? 1° Il paroit qu'ils pouvoient hériter des esclaves, des épargnes et de meubles de toute espèce. 2° Chaque citoyen étoit en droit de participer aux repas publics et fournissait pour son con-*

alii unicuique recens nato portionem agrorum publice assignatam esse sibi persuaserunt, sive e bonis hereditate vacuis sive ex agris publice reservatis desumtam [52]); quorum tamen quum alteri alteros jam abunde impugnarint atque refellerint, paucis defungi in eorum refutatione potero. Neque illud dico, vel Barthelemium vel Pastoretum prorsus nihil vidisse, quorum utrique multum me debere

tingent une certaine quantité de farine d'orge, qu'on peut évaluer à environ 12 *médimnes: or le Spartiate possesseur d'une portion d'héritage en retira par an* 70 *médimnes — l'excédent suffisoit donc pour l'entretien de cinq enfans, et comme Lycurgue n'a pas dû supposer, que chaque père de famille en eût un si grand nombre, on peut croire que l'ainé devoit pourvoir aux besoins non seulement de ses enfans mais encore de ses frères.* 3° *Il est à présumer que les puinés pouvoient seuls épouser les filles, qui au défaut de males, héritoient d'une possession territoriale.* 4° *Après l'examen qui suivoit leur naissance, les magistrats leur accordoient des portions de terre devenues vacantes par l'extinction de quelques familles.* 5° *Dans ces derniers tems des guerres fréquentes en détruisoient un grand nombres; dans les siècles antérieurs ils alloient au loin fonder des colonies.* 6° *Les filles ne coûtoient rien à établir; il étoit défendu de leur constituer une dot.* 7° *L'esprit d'union et de désintéressement rendoit en quelque façon toutes choses communes entre les citoyens.*

52) Pastoret hist. de la législ. T. V, p. 494: *On croit que l'ainé recevoit la part que son père avoit eue. Elle n'auroit pu être destinée pour tous, sans devenir insuffisante et sans détruire tout d'un coup l'égalité rélative entre les propriétés des citoyens. La loi même veilla au supplément nécessaire pour une famille nombreuse. — La mortalité ordinaire, accrue encore par les guerres fréquentes, laissoit souvent des portions primitives à la disposition de l'état. La prévoyance de la loi remontoit même à la première époque de la vie. Nous voyons en effet, indépendamment de l'extinction des familles et des morts produits par les guerres, qu'on assignoit une portion de terre aux nouveaux nés, après les avoir soumis à cet examen corporel, qui suivoit leur naissance.* Pag. 499: *Les nouveaux nés, nous venons de le dire, recevoient tous une portion de terre. Si l'ainé cultivoit celle de son père, le cadet en obtenoit une équivalente des domaines réservées dans cet objet par l'état.* Pag. 504: *La transmission au fils ainé de la portion originairement donnée auroit laissée les puinés sans ressources, si l'état n'avoit disposé en leur faveur de portions mises en réserve ou devenues vacantes; c'est du moins l'explication, qui nous paroît la plus naturelle, la plus juste, et la plus conforme au système général des institutions de Lycurgue.*

gratus profiteor; sed ut plerumque fit, dum uni tantum rei intenti reliqua antiquitatis vestigia negligunt nodumque caedendo potius quam quaerendo solvere student, longius quam par erat abrepti adque conjecturas delapsi sunt, quae ut per se non omni verisimilitudine careant, ita antiquis moribus institutisque dici non potest quantopere repugnent. Et primum quidem hoc posito quovis pignore contendere licet, majoratuum qui nunc dicuntur nullum in tota antiquitate vestigium apparere, quibus recentiorum populorum plerosque nobilium gentium integritati atque splendori ita providisse novimus, ut bona familiae ad maximum tantum natu pertineant, reliqui simili modo quo sorores apud Graecos a fratre alantur et quasi dote quadam instruantur; apud antiquos contra omnes ubique mares paribus bonorum portionibus fruebantur neque alius maximo honor habebatur, nisi ut primo eligere liceret [53]). Regnorum enim quaeque praeterea vel munera vel honores hereditario jure ad maximos natu filios transibant, longe alia ratio erat quam bonorum; siquidem regibus sacerdotibusque publice sumtus praebebantur, qui ad eos tantum pervenire poterant qui munere illo re vera fungerentur, nec tam jus erat familiae ut regiam sacerdotalemve dignitatem unus ex ea gereret, quam religio prohibebat, quominus ex alia gente illi caperentur; quapropter qui in illis succedendi ordo conspicitur, ad privatorum bonorum fructum transferri omnino nequit. Hoc enim

---

53) Wachsmuth Hellen. Alterth. T. II, P. 1, p. 215; cf. et Bernhardy in Hall. A. L. Z. 1837, Juni p 248.

probe tenendum est, non tam de ipsa bonorum possessione quam de fructu eorum nunc agi; ipsa enim bona si respicimus, in eo sane majoratuum jura vel proxime ad Lacedaemoniorum instituta accedunt, quod fundos familiae neutra nec venumdari neque adeo dividi permittunt [54]), idque ipsum viris illis doctis fraudi fuit, ut reliqua quoque, quae cum illis conjuncta viderent, huc transferrent; verum ut supra jam monuimus Spartanorum opes non tam in spatiis agrorum quam in reditibus positas fuisse, ita nunc quoque insigne illud utrorumque discrimen observamus, quod majoratuum fructus universi ad maximum natu redeunt, Spartae etiamsi agros ipsos dividi non licebat, nihil tamen prohibet, quominus reditus eorum ad omnes, quibus hereditario jure competerent, aequaliter pervenisse neque ad unum omnes redundasse statuamus. Nec veterum locis illis, quibus nuperrime Müllerus novum illi sententiae pondus addere visus est, quidquam proficimus. Quod enim Pollux patrem familias *ἑστιοπάμονα* apud Spartanos dictum esse refert, unum semper patrimonii dominum fuisse non demonstrat [55]); nec quod Plu-

54) Heraclid. Pont. de rebus publ. 2, p. 5 ed. Koeler.: *πωλεῖν δὲ γῆν Λακεδαιμονίοις αἰσχρὸν νενόμισται· τῆς ἀρχαίας μοίρας νενεμῆσθαι οὐδ᾽ ἔξεστι.* Adde Plutarchi instit. Lacc. T. VIII, p. 252 ed. Hutt., qui locus ita interpungendus legendusque esse videtur: *ὃς ἂν ὑπομείνῃ ταύτην τὴν ἄσκησιν, τῆς πολιτείας κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Λυκούργου μετεῖχε· τῆς ἀρχῆθεν διατεταγμένης μοίρας πωλεῖν οὐδὲν ἐξῆν.*

55) Poll. Onom. I. 75: *ὁ δεσπότης τῆς οἰκίας στεγανόμος, παρὰ δὲ τοῖς Δωριεῦσι καὶ Αἰολεῦσιν ἑστιοπάμων ὀνομάζεται*: cf. eundem X. 20: *τὸν μὲν οὖν τοῦ παντὸς οἴκου δεσπότην καὶ ναύκληρον καὶ ἑστιοπάμονα, Δωριεῖς*, unde tamen id ipsum, opinor, apparet Lacedaemonios ab aliis gentibus non re sed nomine tantum discrepasse; nec *πατρώτας* concesserim, quos Hesychius T. II, p. 896 docet apud Lacedaemonios *συγγενεῖς* sive *οἰκείους* significasse, re-

tarchus [56]) narrat Agesilaum, quum fratris ejus filius spurius judicatus esset, in bona fraterna successisse, eam vim habet, ut tunc demum in paternae hereditatis fructum eum pervenisse probet; ut taceam χρήματα non tam κλῆρον, fundum, quam reliquam potius rem familiarem significare [57]), quam illa aetate jam satis amplam relinquere reges potuerunt. Longe utique gravius est, quod ex ejusdem Plutarchi scholiis deperditis ad Hesiodum retulit, ubi diserte traditum erat Lycurgum instituisse, ut singulos tantum heredes singuli relinquerent [58]); sed hoc quoque testimonio, etiamsi firma ejus fides stare videatur, majoratuum certe institutum non probatur. Nam si Hesiodi [59]) locum comparamus, qui ansam huic Plutarchi narrationi dedit, illud potius vel consilium vel votum reperimus, ut unicus tantum filius nascatur, quem patrimonio olim frui oporteat, ità enim opulentiam crescere in aedibus; quae si Lycurgi quoque sententia fuisset, non tam majoratus instituere quam ipsum liberorum nume-

---

liquos fratres dictos esse, quibus maximus natu reditibus agrorum perceptis alimenta praebuerit; παῶται enim non magis quam simplex παοί sive πηοί (Homer. Odyss. VIII. 581, Theocr. Idyll. XVI. 25) consanguineos, sed ascititios (ἐπικτήτους) sive affines significare poterat; cf. Valck. ad Eurip. Phoen. v. 431.

56) V. Agesil. c. 4: οὕτω δὲ καὶ διὰ ταῦτα βασιλεὺς ἀποδειχθεὶς ὁ Ἀγησίλαος εὐθὺς εἶχε καὶ τὰ χρήματα τοῦ Ἄγιδος ὡς νόθον ἀπελάσας τὸν Λεωτυχίδην.

57) Sic apud eundem (V. Solon. 21) distinguuntur inter se χρήματα et οἶκος, qui Lacedaemoniorum κλήρῳ respondet. Cf. omnino Schaeferi melett. crit. p. 17.

58) Apud Proclum ad Hesiodum p. 198 Gaisford.: μήποτε, φησὶν ὁ Πλούταρχος, καὶ Πλάτων ἕπεται τῷ Ἡσιόδῳ καὶ Ξενοκράτης, καὶ Λυκοῦργος πρὸ τούτων; οἳ πάντες ᾤοντο δεῖν ἕνα κληρονόμον καταλιπεῖν.

59) Ἔ. κ. ἡ. 374: Μουνογενὴς δὲ πάϊς εἴη πατρώϊον οἶκον
φερβέμεν, ὡς γὰρ πλοῦτος ἀέξεται ἐν μεγάροισι.

rum circumscribere debuisset; idque ipsum jam Montesquievio visum est [60]), quamvis non ex aliquo antiquitatis fonte, sed ex ipsa, opinor, bonorum aequalitate petitum, quam aliter servari non posse arbitraretur. At huic opinioni primum quidem illud obstat, quod fecunditatem potius et praemiis propositis et quocunque alio modo promovisse Lycurgus traditur [61]); utque illas leges serioribus demum temporibus latas esse idoneis harum rerum arbitris concedamus [62]), passim tamen vel trium quatuorve filiorum parentes inter Lacedaemonios offendimus, neque profecto fieri potuisset, quod supra jam monui (not. 46) circa belli Messeniaci tempus factum esse, ut vix ducentis annis civium numerus duplicaretur, si singulos tantum singulis filios tollere Lycurgus permisisset vel aliquo modo liberorum procreationem ad certum numerum redegisset. Verum enim vero haud scio an Plutarchus omnino negligentius locutus sit neque quidquam aliud voluerit, nisi quod vulgo constat Lycurgum patrimonia dividi noluisse; qui si quid praeterea, quod propius ad Hesiodeum placitum accederet, historica fide cognitum habuisset, certe non Platonem Xenocratemque philosophos ante Lycurgum nominas-

60) De l'esprit des loix XXIII. 17: *Nous disons aujourd'hui qu'il faut borner le nombre des troupes réglées; or Lacédémone étoit une armée entretenue par des paysans, il falloit donc borner cette armée; sans cela les hommes libres, qui avoient tous les avantages de la société, se seroient multipliés sans nombre et les laboureurs auroient été accablés.*

61) Cf. Aristot. Politic. II. 6. 13: βουλόμενος γὰρ ὁ νομοθέτης ὡς πλείστους εἶναι τοὺς Σπαρτιάτας προάγεται τοὺς πολίτας ὡς πλείστους ποιεῖσθαι παῖδας· ἔστι γὰρ αὐτοῖς νόμος τὸν μὲν γεννήσαντα τρεῖς υἱοὺς ἄφρουρον εἶναι, τὸν δὲ τέτταρας ἀτελῆ πάντων: et quae praeterea attuli in Lehrb. d. griech. Staatsalt. §. 27, n. 8.

62) Manso T. I, P. 1, p. 128; Müller Dorier II, p. 195.

set. Quod autem Plato in legibus suis instituit [63]), ut pater moriens unum aliquem e filiis quem vellet heredem scriberet, reliquos vel adoptandos foras daret, vel idonea supellectile instructos in coloniam aliquam dimitteret, quominus et Lycurgo tribuamus, prohibet illius aetatis simplicitas, unde omnis in testamentis faciendis licentia procul habenda est; quae quum vel Athenis ante Solonem inaudita fuisse tradatur [64]), institui certe Spartae a Lycurgo omnino non potuit. Adoptionum alia causa est, quo mox redibimus; sed ne ad colonias quidem confugere Lycurgo facile licuit, qui cives suos ab omni exterarum nationum commercio arcuisset; nec quae postea Spartanorum sub auspiciis coloniae deductae sunt, multos Doricae stirpis homines continuisse videntur [65]). Domi vero ne quenquam Spartanorum vel certis reditibus vel suo aliquo tecto caruisse arbitremur, vel illud vetat, quod omnes cives summa cum severitate matrimonia inire adactos, coelibes ignominiosissima tractatione castigatos esse [66]) constat, id quod in majoratuum institutis longe secus est, omniumque iniquissimum ineptissimumque fuisset, si tot cives ipsa lege patrimonio exclusi sibi solis fraternaeque munificentiae

---

63) Lib. XI, p. 923 C: ὃς ἂν διαθήκην γράφῃ τὰ αὑτοῦ διατιθέμενος, παίδων ὢν πατήρ, πρῶτον μὲν τῶν υἱέων κληρονόμον ὃν ἂν ἀξιώσῃ γίνεσθαι γραφέτω, τῶν δὲ ἄλλων παίδων ὃν μὲν ἑτέρῳ ποιεῖσθαι διδῷ δεχομένῳ, γραφέσθω τοῦτο αὐτό· ἐὰν δὲ περιγίγνηταί τις τῶν υἱέων αὐτῷ μὴ ἐπί τινι κλήρῳ πεποιημένος, ὃν κατὰ νόμον ἔλπις εἰς ἀποικίαν ἐκπεμφθῆναι, τούτῳ τῶν ἄλλων χρημάτων ἐξέστω τῷ πατρὶ διδόναι ὅσα ἂν ἐθέλῃ κ. τ. λ. Cf. disp. de vestig. institt. vett. p. 25.

64) Plutarch V. Sol. c. 21; conf. et Hüllmann röm. Grundverfassung p. 156.

65) Müller Dorier T. I, p. 123 seq.

66) Conf. Osanni diss. de coelibum apud veteres populos conditione. Gissae 1827. 4. et Lehrbuch cit. §. 28, n. 17.

relinquerentur; nec si alieno in arbitrio minorum natu victus positus erat, suo capite luere poterant, si forte fratris culpa patrimonii reditus imminuti vel dilapidati essent; quod si ipsius reipublicae communicatio a syssitiorum communione pendebat, ut in superiore dissertatione comprobavimus, omnes cives habere necesse erat, unde syssitia conferrent: nisi eo usque procedere libet, ut civitatis quoque jura maximos tantum natu inter fratres exercuisse dicamus, quod licet et ipsum fuerint qui defenderent, omni tamen antiquitatis auctoritate destituitur [67]). Nihil igitur restat nisi id quod Heynio quoque dudum veri simillimum visum est [68]), ut totam unius patris progeniem communi habitatione et contubernio una vixisse censeamus, quod eo facilius fieri poterat, quod mares omnes constat Lacedaemone toto die in publico versatos esse, mulieres solas cum teneris infantibus domi degisse; a mulieribus autem ne quid turbarum metuamus, quae sane Spartae omnium imperiosissimae atque arrogantissimae fuisse feruntur, opportune nos solatur Polybii fragmentum nuper demum ab Angelo Majo repertum [69]), qui usitatum Spartanis honestumque fuisse narrat, ut terni quaternique interdum fratres una uxore communiter uterentur liberosque promiscue propagandae

67) Pastoret, l. l. p. 218: *Quelques écrivains ont semblés croire que l'aîné de la famille avoit seul le droit d'assister aux assemblées: aucun ancien auteur n'indique cette limitation.*

68) Comm. Gott. l. l. p. 15.

69) Exc. l. XII, c. 6, in A. Maji scriptorum veterum nova collectione e codd. Vaticanis edita T. II (Rom. 1827) p. 384: *παρὰ μὲν γὰρ τοῖς Λακεδαιμονίοις καὶ πάτριον ἦν καὶ σύνηθες τρεῖς ἄνδρας ἔχειν γυναῖκα καὶ τέτταρας, ποτὲ δὲ καὶ πλείους, ἀδελφοὺς ὄντας, καὶ τέκνα τούτων εἶναι κοινά, καὶ γεννήσαντα παῖδας ἱκανοὺς ἐκδόσθαι γυναῖκά τινι τῶν φίλων καλὸν καὶ σύνηθες.*

familiae causa quaererent [70]. Quem locum si prius cognitum habuissent viri illi docti, de majoratibus certe non cogitassent, unde tantum Spartanos abfuisse videmus, ut non bona modo verum etiam uxores liberosque cum fratribus communicarent; idque ipsum Lycurgo in agrorum distributione propositum fuisse vel inde apparet, quod quum mulieribus duodenos tantum medimnos ex agris assignaret, paene sextuplices reditus maribus concessit; quod sive patrium Doriensibus sive ab ipso Lycurgo institutum fuerit, maximam partem earum difficultatum tollit, quae ex hominum multiplicatione in aequalium sortium perpetuitatem redundare videbantur. Haud contemnendum praeterea frenum immodico hominum incremento etiam mos ille exponendorum puerorum injecit [71], quo non paucos recens natos periisse credibile est; quo tamen ne praeter infirmos ac debiles in alios quoque, qui justum liberorum modum excedere viderentur, saevitum esse arbitremur, ipsa reipublicae Spartanae natura prohibet, cujus maximae opes in ipso virorum numero positae erant; satis opinor provisum erat aequabilitati, si vel quinque sexve fratres conjunctos non plures quam totidem filios ex se relicturos esse sperari poterat; quod etsi concessum potius legibus quam

70) Simile polyandriae exemplum ex India affert Montesquieu XVI. 5, neque alienum est quod de Britannis narrat Bardesanes apud Orellium de fato p. 210: *ἐν Βρεττανίᾳ πολλοὶ ἄνδρες μίαν γυναῖκα ἔχουσιν.*

71) Aristoteles quoque dum pariter ac Lycurgus (Plut. c. 16) vetat *μηδὲν πεπηρωμένον τρέφειν*, illud tamen monet, ne multitudinis coërcendae causa exponantur, si quidem ita apud ipsum legendum est (Politic. VII. 14. 13): *διὰ δὲ πλῆθος τέκνων, ἐὰν ἡ τάξις τῶν ἐθῶν κωλύῃ, μηδὲν ἀποτίθεσθαι τῶν γιγνομένων· ὡρίσθαι γὰρ δεῖ τῆς τεκνοποιίας τὸ πλῆθος.* Quod autem ejus in locum commendat abortum, a Lycurgeae aetatis simplicitate alienum est.

praeceptum erat, ipsa tamen rei necessitate abunde commendabatur. Neque omnino majus in legibus quam in ipsa civium suorum prudentia ac sobrietate praesidium Lycurgi instituta habuisse, etiam illud ostendit, quod ibidem Polybius subjungit, si quis idoneum liberorum numerum sibi procreasse videretur, uxorem haud raro amicorum alicui tradidisse, postulanti nimirum, ut opportune ex Xenophontis loco sane quam simili apparet [72]), qui et ipse libenter hoc Spartanos fecisse affirmat rationemque addit, ut fratres filiis suis procurarent, qui quum consanguineitate illis proximi essent roburque familiae augerent, hereditatis tamen in partem cum illis non venirent. Tantum igitur aberat ut Lycurgus, quod plerique recentiorum opinati sunt, coërcendorum incrementorum gratia familiarum jura internasque rationes certis legum vinculis adstringeret, ut majorem etiam libertatem civibus suis concederet, qua ipsi ad naturae vicissitudines compensandas atque reconcinnandas uterentur; bene gnarus, donec pristinam frugalitatem communisque patriae amorem servarent, neminem fore, qui propter libidinis intemperantiam ordinem pulcherrime constitutum turbaret posterosque suos egestati atque ignominiae relinqueret; neque eum spes fefellisse videtur, antequam imminuto per externas causas civium numero ortaque bo-

---

72) Republ. Lac. I, 8: εἰ δέ τις αὖ γυναικὶ μὲν συνοικεῖν μὴ βούλοιτο, τέκνων δὲ ἀξιολόγων ἐπιθυμοίη, καὶ τούτῳ νόμον ἐποίησεν ἥντινα ἂν εὔτεκνον καὶ γενναίαν ὁρῴη, πείσαντα τὸν ἔχοντα ἐκ ταύτης τεκνοποιεῖσθαι. Καὶ πολλὰ μὲν τοιαῦτα συνεχώρει· αἵ τε γὰρ γυναῖκες διττοὺς οἴκους βούλονται κατέχειν, οἵ τε ἄνδρες ἀδελφοὺς τοῖς παισὶ προσλαμβάνειν, οἳ τοῦ μὲν γένους καὶ τῆς δυνάμεως κοινωνοῦσι, τῶν δὲ χρημάτων οὐκ ἀντιποιοῦνται.

norum confusione in avaritiam delapsi homines sibi quisque vivere liberosque in spem potius lucri quam ad praesentem rei familiaris modum suscipere coepissent.

IV.

Sed hoc ipsum monet, ut jam vicissim quaeramus, quid subsidii vel invenerit apud populum suum vel instituerit Lycurgus, ne vacuefacto aliquo patrimonio, si quis vel nullos vel feminas tantum reliquisset, de confusione fundorum aequalitatisque turbatione metuendum esset? Cui quaestioni qui operam dederunt viri docti plerique vel illud remedium sibi reperisse visi sunt, ut agros possessore vacuos ad rempublicam rediisse ac deinde numerosarum familiarum suboli distributos esse statuerent (v. sup. not. 52), vel ut lege cautum fuisse conjicerent, ut qui mares heredes ex se nullos relinqueret, ex eorum tantum numero scriberet, qui quum minores natu inter fratres essent, patrimonio carerent, filiasque et ipsas eadem lege collocaret [73]); quarum tamen sententiarum quantum cum majoratuum doctrina conjunctum est, una cum hac et ipsum concidit; illud tantum examinandum restat, quod aliis veterum testimoniis niti videatur. Eorum antem primarium est Plutarchi [74]), qui unicuique puero narrat, simulac natus a maximisque natu tribulium

73) Manso T. I, P. 1, p. 121.

74) V. Lycurg. c. 16: τὸ δὲ γεννηθὲν οὐκ ἦν κύριος ὁ γεννήσας τρέφειν, ἀλλ' ἔφερε λαβὼν εἰς τόπον τινὰ λέσχην καλούμενον, ἐν ᾧ καθήμενοι τῶν φυλετῶν οἱ πρεσβύτατοι καταμαθόντες τὸ παιδάριον... τρέφειν ἐκέλευον, κλῆρον αὐτῷ τῶν ἐννακισχιλίων προσνείμαντες.

probatus esset, ab iisdem unum ex novem millibus fundum assignatum esse, unde colligi posse videbatur, nemini omnino plus quam unum fundum possidere licuisse, si qui praeterea evenisset, eum ipsum in finem publicatum esse, ut aliis qui proprio carituri essent, attribueretur; quem locum etsi alii aliter intellexerunt [75]), Pastoreto tamen totam rem unice conficere visus est, adeo ut vel praeter novem illa millia, quae ab initio distributa essent, nescio quos publicos agros sibi fingeret, unde singuli civium filii, quotquot nati essent, pares cum reliquis portiones accepissent. Et hoc quidem ne sequamur jam eadem illa Polybii narratio vetat, quae, si integras sibi quisque solus agrorum portiones coluisset, omni fundamento verique similitudine careret; utque taceam hac ratione sensim sensimque portionum numerum augeri potuisse, quod certe nec Lycurgus fieri voluit et semel tantum atque extra ordinem factum esse constat (v. sup. not. 46), si qui Lacedaemone publici agri fuerunt [76]), communi tantum reipublicae religionumque usui destinati cum privatorum bonis confundi nullo modo poterant, neque tribulibus eorumve magistris quidquam in eos juris competebat; non tamen adeo spernenda est Plutarchi auctoritas, ut si Pastoretum ea abusum esse appareat, cum hoc simul et illum confutatum erroris-

---

75) Manso T. I, P. 2, p. 134: *Die Stelle Plutarchs, die einzige die dafür zu sprechen scheint, ist nichts weniger als entscheidend, und kann füglich übersezt werden: Fanden die Aeltesten der Phyle, dass das Kind fest und stark war, so befahlen sie es zu erziehen und erklärten es der Theilnahme an den neuntausend Loosen werth.*

76) Heyne l. l. p. 13. Pastoret. l. l. p. 195 Kortüm in Schlosseri Archiv l. l. p. 163.

que convictum existimemus. Quippe longe aliud est, quod Pastoretus voluit, singulorum civium aequalitatem simili portionum parilitate propagatam, aliud quod Plutarchus narrat, pristinum portionum numerum repetita distributione integrum servatum esse; quorum alterum, dum singulos homines inter se exaequaret, familias, gentes, tribus, totam denique civitatis descriptionem perpetuis mutationibus conturbasset, quo nihil alienius a Lycurgi consilio esse poterat: alterum quin ipsi propositum fuerit dubitari nequit, nec si Plutarchus, tot saeculis ab antiquitate graeca remotus, rem imperitius narravit, vero ideo fundamento caret; quod si investigare Pastoretus quam auctoris sui errorem etiam longius extendere maluisset, eodem opinor pervenire poterat quo Müllerus, quo nemo rectius hujus quaestionis naturam existimavit, modo ne properanti similis tam paucis defungi verbis in re omnium gravissima sategisset. Erravit utique Plutarchus, dum tribulium distributioni totum fundorum numerum subjiceret, qui non nisi in eam agrorum partem jus habere poterant, quae ab initio ipsorum tribui assignata esset; item erravit, dum ita loqueretur, quasi illa tribulium distributione omne jus hereditarium sublatum esset, quod et fuisse Lacedaemone satis aliunde constat neque abesse poterat, quin simul et familiarum nexus tolleretur, quo nulla Graecorum respublica carere posse videbatur; quod tamen seniorum aliquas partes in ordinandis patrimoniis fuisse tradit, tantum abest ut de nihilo arripuisse judicandus sit, ut non Lacedaemoniorum modo verum antiquissimorum Graecorum omnium morem fidelissime referre videatur; qui utrum tribulium an quod Mülle-

rus [77]) mavult gentilium seniores fuerint, parum opinor interest, modo illud teneamus, non privato arbitrio nec fortunae casibus successionem in fundos vacuos relictam esse, sed ad communem omnium curam, qui eodem cognationis sacrorumque vinculo jungerentur, pertinuisse, ut agrorum aequalitas primitus instituta quantum fieri posset perpetua servaretur [78]). Id autem quomodo factum sit, licet e Plutarcho non appareat, e communi tamen antiquae Graeciae jure hereditario facili negotio repeti potest; quod ne temere confundere cum peculiaribus Lacedaemoniorum institutis videamur, satis multa vestigia exstant, quae reliquas potius civitates paulatim ab antiquis moribus patriique juris observatione deflexisse quam Lycurgum nova atque singularia introduxisse ostendant; si quidem vel Athenis antiquissima quaeque instituta quorumque vel ipsa

---

77) Dorier II, p. 194: *Jene angeblichen Phylenältesten werden also wohl nur die Aeltesten des Geschlechts gewesen seyn, die etwa darüber wachen konnten, dass wenn in einer Familie mehrere Söhne und auch zugleich mehrere Kleren zusammengefallen waren, auch die Jüngeren so weit es thunlich Landbesitzer wurden, ohne indess die untheilbare Einheit eines Fundus zu zerschlagen.*

78) Comparationis causa, licet eousque Lacedaemonios processisse non arbitrer, subjeci, quae ex Thomae Moorii history of Ireland chap. X in Ann. Vindob. 1836, T. LXXIV, p. 199 enotata sunt: *wo immer Erbgüter nicht mit dem Königthume oder der Würde eines Stammhäuptlings verbunden waren, wurde ihre Uebertragung durch den Gebrauch der gleichen Erbvertheilung unter Brüdern* (Gavelkind genannt) *geregelt, und die Art und Weise, auf welche das Eigenthum kraft dieses Gesetzes vertheilt und immer wieder vertheilt wurde, unterwarf den Besitz desselben einer beständigen Unsicherheit, und zersplitterte es endlich ganz: so oft einer der untergeordneten Besitzer starb, versammelte man den ganzen Stamm, warf alle Besitzungen zusammen, und nahm eine neue allgemeine Theilung vor, bei welcher der Sohn des Verstorbenen nicht den Antheil seines Vaters erhielt, sondern jedem männlichen Individuum des Stammes ward je nach seinem Alter ein Theil des Ganzen zuerkannt.*

sanctitate appareat naturae magis quam consilio ac rationi originem deberi, tam prope ad Laconica nonnulla accedunt, ut quidquid differentiae inter utrosque intercedat, singulari potius Doriensium indoli ac fortunae quam Lycurgi arbitrio tribuendum esse videatur. Quem ut supra jam monui ipsam agrorum aequalitatem non tam nove excogitasse quam ex vetere gentis suae instituto quasi postliminio reduxisse, ita et quae illi tuendae atque propagandae inservirent, multo plura in veteris Graeciae moribus invenisse, quam de suo addidisse censendus est; nec si longe a reliqua Graecia diversa apud Lacedaemonios bonorum distributio fuit, aliunde hoc derivari oportet, nisi quia, ut ibidem diximus, apud reliquos Graecos ab initio inaequalitas, apud Dorienses aequalitas obtinuit. At perpetuitatis utrique pariter studiosi fuerunt; cui quae officerent reique familiaris diuturnitatem conturbarent, non tam remota esse e Spartanorum republica a Lycurgo, quam in reliquas postmodo irrepsisse videntur, quum non tantis illam quantis Lycurgus religionis ac disciplinae firmamentis ab hominum licentia et cupiditatibus defendissent. Quid quod id ipsum, quod Lycurgus vulgo interdixisse fertur, ne testamento relinquere bona sua cuivis liceret, Athenis a Solone demum permissum esse traditur (v. sup. not. 64); ut non magis ille hoc trecentis annis ante lege vetuisse videatur, quam auri argentique usum in numis, quos centum quinquaginta demum annis post eum cudi coepisse constat; sed quum Lycurgi beneficio Spartani pristinos mores multo diutius quam reliqui omnes retinerent a novisque inventis usurpandis abhorrerent, posteriori aetate, quae-

cunque apud illos a reliquorum Graecorum institutis recederent, tanquam singularia artificia ad Lycurgum auctorem referebantur, quamvis et aliae civitates multas eorum reliquias servarent, quae sibi olim cum Lacedaemoniis communia fuissent. Sic Athenis quoque ex vetere instituto curiales [79] familiarum integritatem custodiebant, quodque Plutarchus narrat Lacedaemone pueros recens natos maximis natu e tribulibus inspiciendos oblatos esse, similiter Athenis in curialium consessu fieri solebat, quibus nisi probati essent, omni agnationis jure carebant neque ullam hereditatem cernere poterant; quae licet spectatio pro diversa utriusque reipublicae indole apud alteros ad prosapiae tantum auctoritatem, apud alteros ad corporis potius firmitatem existimandam pertineret, moris tamen ipsius jurisque pristini nullum discrimen fuit. Nec conservandae singularum domorum perpetuitatis incuriosos Athenienses fuisse, vel postquam liberum testamenti faciendi arbitrium Solon concessit, satis constat, si quidem ita tantum heredem scribere licebat, ut idem simul per adoptionem in filii locum succederet [80], sin quis nec naturalibus filiis nec adoptaticiis relictis decessisset, quum ipsos, ad quos ab intestato hereditas perveniebat, unum aliquem ex genere proximis heredem illi eundemque filium subrogare oportebat [81]), tum publice archonti demandatum erat, ut prospiceret, ne qua domus successore suo va-

79) Conf. Platneri Beiträge zur Kenntniss des attischen Rechts p. 101 seq. et Meier, de gentilitate Attica, Hal. 1834. 4.

80) Conf. Lehrbuch der griech. Staatsalt. §. 120.

81) Conf. Schömannus ad Isaeum de Aristarchi hered. p. 453.

caret [82]), quod idem regum apud Lacedaemouios munus fuisse ex Herodoto colligi potest, qui id ipsum fere solum ex rebus domesticis illorum auctoritati relictum esse tradit, ut adoptionibus adessent orbarumque matrimonia judicio suo regerent [83]. Orbarum autem [84]) non modo Athenis sed per totam Graeciam [85]) eadem condicio fuisse videtur, ut ei qui genere proximus esset nubere eas oporteret, eumque ipsom eas ducere eadem lex juberet, unde qui filii nati essent, non in patris naturalis sed in matris avique materni hereditatem soccedereot [86]); quod quanti momenti fuerit ad bonorum aequalitatem servandam, nec Barthelemium Mansonemque fugisse videtur, modo ne falsis opioionibus ducti prorsus neglecto jure geotilicio quum legum proprietati tum arbitrio regio nimium tribuissent. Montesquievium enim mitto, qui omnia Lacedaemoniorum matrimonia a magistratibus regi solita esse somniavit [87]); sed et illis quod placet, inopi

82) Isaeus de Apollodori hered. §. 30: *πάντες γὰρ οἱ τελευτήσειν μέλλοντες πρόνοιαν ποιοῦνται σφῶν αὐτῶν, ὅπως μὴ ἐξερημώσωσι τοὺς σφετέρους αὐτῶν οἴκους — διὸ κἂν ἄπαιδες τελευτήσωσιν, ἀλλ' οὖν ποιησάμενοι καταλείπουσι. Καὶ οὐ μόνον ἰδίᾳ ταῦτα γιγνώσκουσιν, ἀλλὰ καὶ δημοσίᾳ τὸ κοινὸν τῆς πόλεως οὕτω ταῦτ' ἔγνωκε· νόμῳ γὰρ τῷ ἄρχοντι τῶν οἴκων ὅπως ἂν μὴ ἐξερημῶνται προστάττει τὴν ἐπιμέλειαν.*

83) Herod. VI 57: *δικάζειν δὲ μούνους τοὺς βασιλῆας τοσάδε μοῦνα, πατρούχου τε παρθένου πέρι, ἐς τὸν ἱκνέεται ἔχειν, ἢν μή περ ὁ πατὴρ αὐτὴν ἐγγυήσῃ — καὶ ἤν τις θετὸν παῖδα ποιέεσθαι ἐθέλῃ, βασιλήων ἐναντίον ποιέεσθαι.*

84) Müller Dorier II, p. 197 seq.

85) Wachsmuth. Hell. Alterth. T. II, P. 1, p. 160. 178.

86) Conf. Lehrbuch cit. §. 121.

87) De l'esprit des loix XXIII. 7: *ainsi Platon vouloit que les magistrats réglassent les mariages; ainsi les magistrats Lacédémoniens les dirigoient-ils.* Confer Pastoretum (l. c. p. 519) et ipsum tamen regibus nimium tribuentem: *Suivant Montesquieu les mariages des Lacédémoniens furent dirigés par leurs magistrats. Je crains qu'il n'ait confondu les unions accoutumées avec un cas extraordinaire prévu et réglé par la loi. Si le père d'une riche*

tantum orbas nuptum dari licuisse, quod nisi pater providisset, regem curasse, neque Herodoti neque alius auctoris testimonio confirmatur [88]). Nam ut taceam inopes, quales illi cogitent, e Lycurgi certe legibus Spartae nullus fuisse, quod Herodotus de orba ait reges judicasse, ἐς τὸν ἱκνέεται ἔχειν, neutiquam significat reges eam ex arbitrio collocasse, sed διαδικασίᾳ, ut Athenis appellabatur [89]), instituta dijudicasse, quem potissimum eam habere oporteret cuique proximum ejus ducendae jus competeret; quodque postea novatum esse Aristoteles tradet, ut et ipsi patri eoque mortuo heredi collocare eam cui vellet liceret [90]), non eo spectavit ut regiae auctoritatis in locum propinqui, sed ut pro jure naturali arbitrium succederet, quum antea successionis ordo jure et lege constitutus esset, quem servare reges, non pro arbitrio constituere deberent. Quod enim rei publicae in singulos cives imperium Lycurgus dederat, non eam vim habuit, ut omnia arbitrio publico gererent, sed ne quid unquam suo, tantumque aberat, ut quae privatorum licentiae ademisset, magistratuum potestati adjiceret, ut priscis utrosque moribus adstringeret, qui cum

---

héritière mouroit sans avoir désigné le mari de sa fille, le choix en étoit confié, non pas même à des magistrats proprement dits, mais au premier des magistrats, au roi.

88) Manso T. I, P. 1, p. 121: *auch dann, wann sie ihren Vater allein beerbt, soll sie dieser nicht wem er will, sondern einem Bürger ohne Landeigenthum geben, und falls er vor ihrer Verehelichung stirbt, die Könige den Bräutigam bestimmen.*

89) Meier u. Schömann att. Process p. 470. Haec autem semper instituebatur, sive plures peterent sive unus tantum, ut de ipso jure constaret; quare minus accurate Heynius (Comm. laud. p. 22) *controversias* modo super tali causa motas ad reges spectasse ait.

90) Politic. II. 6. 11: νῦν δ' ἔξεστι δοῦναι τὴν ἐπίκληρον, ὅτῳ ἂν βούληται, κἂν ἀποθάνῃ μὴ διαθέμενος, ὃν ἂν καταλίπῃ κληρονόμον, οὗτος ᾧ ἂν θέλῃ δίδωσι, quo loco mirum in modum abusus est Manso T. I, P. 2, p. 131.

ipsa gente nati naturalem potius vim necessitatisque sensum quam prudentiam legislatoris proderent. Neque illud unquam lege sancire Lycurgus poterat, ut vel generum capere vel heredem instituere quem quis vellet liceret, modo e numerosa familia sumeretur, quae plures quam pro bonorum modo homines contineret [91]); quod quamvis prudenter ad aequalitatem servandam institutum fuisset, propinquorum tamen jura violasset, unde vel Athenis et maritum orbae et heredem defuncto [92]) exsistere oportebat; neque regum aliae partes esse in adoptionibus regendis orbarumve adjudicatione poterant, nisi ut ipsum gentilicium jus tuerentur, quod si ad bonorum aequalitatem familiarumque perpetuitatem retinendam variandum atque inflectendum esset, eorum tantum consensu fieri poterat, ad quos bona naturalibus heredibus destituta communiter pertinere viderentur. Has igitur vel tribulium vel gentilium partes fuisse in agrorum distributione cum Müllero arbitror, ut hereditatibus regendis patrimonia quantum fieri posset aequalia servarent, iisque, qui heredes ex se nullos reliquissent, ex iis qui genere proximi essent eos potissimum vel generos vel filios sufficerent, qui integrum ipsi fundum non haberent; quod ipsum tamen non tam lege constitutum quam ipsorum prudentiae et aequitati relictum esse. Nam fieri etiam poterat, ut primus defuncti cognatus unicum tantum filium haberet, quem quum jam orbam ducere vel in bona defuncti succedere oporteret, duo

---

91) Manso l. c.: *kinderlose dürfen ihre Besitzungen verschenken oder vermachen, aber sie sollen sie allein Bürgern, die keine Güter haben, zuwenden können.*

92) Demosth. adv. Leochar. §. 43: *ἐκ τῶν κατὰ γένος ἐγγυτάτω ἐποιεῖτο υἱὸν τῷ τετελευτηκότι.*

patrimonia jungere potuisse apparet; neque enim ulla lex exstabat, quae ut dividi fundos ita et plures jungi, si res ita tulisset, vetaret; sed haec ipsa conjunctio ad tempus tantum esse poterat, duobus enim filiis natis statim dirimebatur, idque fortasse Plutarchus ante oculos habuit, quum singulis natis singula patrimonia assignata esse narraret. Praecipuam tamen tribulium operam eam fuisse dixerim, ut si plures pari propinquitate cognati hereditati alicui imminerent, quam tamen dividi per legem non liceret, unum ex his deligerent, qui genus et domum defuncti propagaret; eademque et adoptionum, quae vivus aliquis faceret, ratio fuisse videtur, quae quum simul etiam heredum institutiones essent, ante Epitadei legem ita tantum locum habere poterant, si complures inter propinquos, qui pari jure ad hereditatem accessuri essent, sive ipsius testatoris sive gentilium voluntate unus eligeretur, qui integram capesseret; eamque potissimum ob causam adoptiones coram regibus factae esse videntur, ut si quis propior necessitudine sibi esse videretur, jus suum persequi posset. Id autem gentilicii tantum juris servandi gratia fiebat; bonorum enim aequalitati ne extraneum quidem adoptari nocuisset, modo illud servaretur, quod Athenis quoque ex vetere instituto sancitum fuisse constat [93]), ut adoptaticius naturalis patris hereditatem amitteret neque aliter in ejus familiam rediret, quin adoptivo nepotes ex se progenitos ad propagandam domum relinqueret; unde simul

93) Harpocration p. 222.: ὅτι οἱ ποιητοὶ παῖδες ἐπανελθεῖν εἰς τὸν πατρῷον οἶκον οὐκ ἦσαν κύριοι εἰ μὴ παῖδας γνησίους καταλίποιεν ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ ποιησαμένου: conf. Schömannus ad Isaeum p. 440.

apparet, nec lege opus fuisse, quae ex pluribus tantum fratribus unum adoptari heredemque institui permitteret, ut taceam vix quenquam unicum filium in adoptionem datorum fuisse; quod si postea multa patrimonia in uno capite convenisse dicuntur, non tam testandi licentia in causa fuit, quam hominum paucitas, qua factum est, ut singula singulos possessores habere amplius non possent [94]). Omnino sic habendum est, donec civium numerus universus qualis ab initio fuisset sibi constaret, patrimoniorumque numerum perpetuo aequaret, singularum hereditatum vicissitudines bonorum aequalitati in universum nocere prorsus non potuisse, quae etiamsi ad tempus turbaretur, ipso tamen jure gentilicio conservandarumque domorum religione facile in integrum restituebatur; neque ullis amplius artibus ad eam conservandam Lycurgo opus fuerat, nisi ut prisci juris morumque publicorum diuturnitati atque integritati prospiceret, civiumque numerum quantum fieri posset diminui nunquam pateretur; quod enim tertium jure addi possit, ne dividi patrimonia neve venumdari liceret, haud scio an rectius et ipsum antiquitus traditum potius quam ab ipso excogitatum habeatur [95]). Hominum autem numero propagando ita providit, ut donec ipsorum civium interesset, paucitate laborare vix posse viderentur; si quidem et aliena opera uti in li-

---

94) Arctissime haec cohaerere intellexit et Aristoteles Politic. II, 6. 12.

95) Acute animadvertit Kortümius (apud Schlosserum p. 162) *turpe* potius quam *legibus interdictum* fuisse videri et Aristotelis (Pol. II. 6. 10) et Heraclidis (cf. sup. not. 54) ex verbis; quod tamen minus illud existimat, obliviscitur non apud Spartanos modo sed apud omnes Graecos mores majorum ipsis legibus antiquiores atque sanctiores habitos esse.

beris procreandis permisit [96]) et jus civitatis non tam progenie quam educatione liberali et virtute aestimari jussit, ut quaevis damna receptis in ordinem spuriis et helotarum filiis, qui Mothacum nomine appellabantur, resarciri possent [97]); quod licet in singulis sapientiae civium patriaeque amori reliquisset, facile tamen apparet, perinde ut supra quoque in incrementis prohibendis vidimus, non defuisse Lacedaemoniis subsidia atque remedia, quibus bonorum aequalitatem, si vellent, contra utriusque fortunae casum tuerentur [98]). Voluntatibus autem hominum coërcendis atque regendis nihil ipsa aequalitate aptius videri poterat, quae ubi semel consuetudine sui animos devinxisset, quasi libramento suo se ipsa sustinebat nec multis artificiis contra rerum naturam anxie coagmentatis indigebat, satis ipso perpetuitatis studio tuta; quod traditum a majoribus, non adventicium, modo idoneis Lycurgus praesidiis adque adjumentis instruxisset, quibus ad externas fortunae vicissitudines propulsandas vel tolerandas paratum esset, ipsum sibi defore nunquam videbatur.

V.

His igitur propositis apparet, longe difficiliorem explicationem habere causas turbatae apud Lacedaemonios aequalitatis, quam spem illam, quam Lycurgus de conservanda ea conceperit; quae si adeo temeraria atque irrita fuisset, ut iis videtur, qui non ex antiquitatis

---

96) Xenoph. de Rep. Lac. I. 7.
97) Cf. disput. de Homoeis p. 132 sqq.
98) Quibuscum confer quae simili in causa Plato Legg. V, p. 740. 741. suasit.

sed ex nostrae aetatis indole rem existimant, profecto non integris quatuor saeculis ita sibi constitisset, ut prima corruptionis vestigia sub Peloponnesii demum belli tempora appareant. Quae enim jam centum quinquaginta post Lycurgum annis a Polydoro rege facta esse dicitur nova agrorum distributio [99]), non restituendae aequalitatis causa, sed ideo facta esse videtur, quia victis tandem post diuturna bella priscorum Achaeorum in ipsa Laconica reliquiis multum agrorum acquisitum fuerat, quod publicari non placuit; utque concedam Messeniacum bellum ab eodem ob eam ipsam causam susceptum esse, quia accepti a majoribus agri incrementis populi amplius non sufficerent, quum duplicatum ab eo sortium numerum audiamus, pariter omnium familiarum progenie aucta aequalitas certe turbari non poterat. Id unum in illa fundorum duplicatione reprehendendum videatur, quod aucto singularum portionum numero spes servandae aequalitatis imminuta est, siquidem facilius quinque sexve millium quam novem perpetuitas retineri poterat, quaeque in singulis fundis vel post imminutum hominum numerum ceteris aequales familiae mansissent, jam binis acceptis serius ocius utrumque conjungere itaque ultra modum ditescere poterant. Neque enim ullo modo probandum est quod Kortümius eandem hujus distributionis rationem fuisse censet quam postea Agidis Cleomenisque aetate offendimus, quum civium penuria parem perioecorum numerum in civitatem recipi paremque illis cum civibus agrorum modum assignari cogeret; quali-

99) Cf. disp. de novis Laced. post Lycurg. inst. p. 58 sqq.

bus supplementis si Polydori aequales indiguissent, certe non sub idem tempus Partheníos ipsorum sanguine natos [100]) in coloniam potius misissent quam pari cum reliquis jure habuissent. Hoc igitur si quo alio tempore quot Aristoteles dicit [101]) decies mille numero Spartanos fuisse crediderim, nec vitio verti debet Polydoro, quod fundorum quoque numerum quantum posset his aequaret, licet et amplificatis regionis finibus et duplicato patrimoniorum numero multo latiorem campum fortunae vicissitudinibus aperiret, sive hominum capita sive ditionis spatia aliquid detrimenti accepissent. Idque jam in secundo bello Messeniaco apparuit, quum per Messeniorum defectionem parte redituum amissa fames atque seditio inter ipsos Spartanos oriretur [102]); quanquam haec ex subita tantum praesentique inopia, non ex aliqua civium inaequalitate originem ducebat, tantaque etiam tum veteris disciplinae vis erat, ut Tyrtaei poëtae auctoritas ad compescendos animos sufficeret; nec si quid eo bello ad tempus in agrorum possessionibus turbatum esset, post victoriam reportatam ullum confusionis vestigium remansisse videtur. Quid quod ne nova quidem agrorum distributio quamvis tota Messenia subacta facta esse potest; quam nisi jam Polydorum priori bello finito totam distribuisse statuamus, quod vix veri simile est, nihil restat nisi ut singula patrimonia novis

---

100) Aristot. Politic. V. 6. 1: ἐκ τῶν ὁμοίων γὰρ ἦσαν; cf. ibid. p. 61 sq.

101) Politic. II. 6. 12: καί φασιν εἶναί ποτε τοῖς Σπαρτιάταις καὶ μυρίους.

102) Pausan. IV. 18. 2: καὶ ἀπὸ τούτου σιτοδεία ἐγένετο ἐν Σπάρτῃ καὶ ὁμοῦ τῇ σιτοδείᾳ στάσις· οὐ γὰρ ἠνείχοντο οἱ ταύτῃ τὰ κτήματα ἔχοντες τὰ σφέτερα ἀργὰ εἶναι· καὶ τούτοις μὲν τὰ διάφορα διέλυε Τυρταῖος: quo Müllerus (Dor. II, p. 191) satis probabiliter etiam Aristotelis locum refert Politic. V. 6. 2; cf. de novis Laced. inst. p. 75 sq.

agris adjectis aucta esse, numerum tamen universum eundem mansisse censeamus [103]; neque enim majorem novem millibus illis, quae ad Polydorum referuntur, usquam invenimus, neque quidquam sapientius ad aequalitatem servandam institui poterat, quae illo pacto neque cum hominum incrementis penuriam adducere, neque in adversa fortuna tam facile turbari posset. Atque eadem ducentis annis usque ad Persica bella civitatis forma mansit; quod enim prima decrementi vestigia jam apud Herodotum invenire sibi Müllerus [104]) visus est, qui pro novem civium millibus octo tantum Lacedaemoni tribuit [105]), vix arbitror eam vim habere, ut jam ab illo inde tempore inaequalitatis origo repeti possit, quum aliquam semper agrorum partem vel ad impuberes vel ad orbas devenire necesse esset, Herodotus autem de iis tantum, qui arma gererent, locutus sit; nec quod apud Plataeas quinque tantum millia Spartanorum in acie stare videmus, huic sententiae contrarium est, siquidem juniores tantum exiisse ipse Herodotus testatur [106]), reliquos ad patriae fines contra Argivos tuendos remansisse credibile est. Hominum autem numero incolumi supra jam monuimus agrorum quoque aequalitatem perpetuam manere et potuisse et debuisse; quae si cum prisca virtute

---

103) Sic etiam expeditur, quod Müllero (Dor. II, p. 196) scrupulum injecit: *völlig räthselhaft ist, wie der Verlust Messeniens von Sparta ausgetragen wurde; dass ganze Häuser ihren Landbesitz verloren hätten, ist nicht anzunehmen etc.*

104) Dorier II. p. 195.

105) Herod. VII. 234: *ἔστι ἐν τῇ Λακεδαίμονι Σπάρτη, πόλις ἀνδρῶν ὀκτακισχιλίων μάλιστά κῃ· οὗτοι πάντες ὁμοῖοί εἰσι τοῖσι ἐνθάδε μαχεσαμένοισι.*

106) Ib. IX. 12: *ὅτι ἐκ Λακεδαίμονος ἐξελήλυθε ἡ νεότης.*

et frugalitate arctissime conjuncta fuit, nulla profecto causa exstat, cur Persici belli tempore confusam illam atque turbatam fuisse statuamus, quo et fortitudo Spartanorum bellica et prudentia civilis quam maxime enituit; utque jam tum fuerint qui a re familiari melius quam alii constituti essent [107]), tamen etiam Plataeensis pugnae tempore non magis virtute patriaeque caritate quam possessionum modo pares sibi Spartanorum milites fuisse vel inde apparet, quod pari omnes Helotarum numero, septenis singuli stipati exierunt [108]), qui quum et ipsi una cum fundis hereditario jure accepti essent, aequalitate sua simul etiam patrimoniorum aequalitatem satis comprobant. Quod si jam non modo rationibus verum etiam experimentis cognitum est, non eam fuisse Lycurgei instituti fragilitatem vel imbecillitatem, ut quae ab hac inde aetate detrimenta accepisse videatur, ex solis internis causis insitaque aliqua necessitate explicationem suscipiant, externae causae circumspiciendae sunt, quae medio inter Persicum Peloponnesiumque bellum tempore, quo supra jam demonstravimus conversionis illius fundamenta jacta videri, eam bonorum confusionem atque accumulationem effecerint, cui sanandae solemnia quae enumeravimus remedia paria amplius non essent; quas licet facile largiar toti Lacedaemoniorum corruptelae explicandae haudquaquam sufficere, vix tamen intelligo unde potius agrorum inaequalitatem repetere liceat, a qua totam illam pendere; sive domesticas

107) Cf. de Homoeis p. 147, not. 101.

108) Herod. IX. 28: *τούτων δὲ τοὺς πεντακισχιλίους ἐόντας Σπαρτιήτας ἐφύλασσον ψιλοὶ τῶν εἱλωτέων πεντακισχίλιοι καὶ τρισμύριοι, περὶ ἄνδρα ἕκαστον ἑπτὰ τεταγμένοι.*

sive publicas rationes spectemus, satis mihi ostendisse videor. Atqui certum esse videtur nisi insigniter imminuto hominum numero agrorum aequalitatem turbari vix potuisse; opportunissime igitur accidit, quod vix sexaginta post pugnam Plataeensem annis eo redactam Spartanorum multitudinem videmus, ut ne quum universa quidem natio in bellum egrederetur, et senioribus et qui vix militarem aetatem ingressi essent comprehensis, sex millium numerum complerent; quinque enim millia septingenti et quadraginta ex accurata Mülleri computatione ad pugnam Mantineensem olympiadis nonagesimae anno tertio (418 a. Chr.) profecti sunt[109]); quae si et ipsa tanta imminutio fuit, ut non ex naturali humani generis decremento sed ex insigni aliqua fortunae vicissitudine externique casus atrocitate derivanda sit, vix dubitari potest quin una eademque causa et populi numerum duobus tribusve millibus capitum multaverit et agrorum redituumque aequalitatem adeo conturbaverit, ut ab eo inde tempore invidiae, avaritiae, cupiditatibus, factionumque studiis ipsique civium discrimini via munita et quasi janua patefacta esset. Neque longe repeti eam causam necesse est; sufficit enim terrae motus quo a. 466 a. Chr. quum universam Laconicam tum ipsam urbem Spartam funditus eversam esse constat[110]), quodque eum secutum est bellum Messeniacum tertium, quorum vix decerni potest utrum majore Lacedaemonios clade affecerit, quum altero civium, altero servorum

109) Thucyd. V. 64; conf. Müllerum Dor. T. II, p. 253.
110) Cf. Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. §. 37, n. 3.

numerus redituumque modus vehementer minueretur. Et universum quidem hominum numerum, quos clades illa in Laconica oppresserit, plus quam viginti millium fuisse Diodorus Siculus auctor est [111]); quorûm ut plurima pars perioeci fuerint, non minus tamen et inde damnum in Spartanorum rempublicam redundavit, quum et deessent qui belli pericula subire pro ipsis possent, et unde civibus supplementa peti debnissent, vix ipsi propagando suo generi pares essent; neque ipsi Spartani communis stragis expertes fuerunt. Licet enim adultos eorum plerosque Archidami regis consilium ac prudentia servasset [112]), acerbissima tamen clades fuit epheborum, quos simul omnes in gymnasio porticus ruina obtritos esse Plutarchus tradidit [113]); quae etsi ad praesentem necessitatem minor jactura esset, facile tamen apparet ad familiarum perpetuitatem sequentisque actatis integritatem gravissimam fuisse, ut re ipsa mox comprobatum est. Nam quum in helotarum fere omnium defectione ne ex his quidem redintegrari numerum liceret, neque ipsorum civium suboles in tantis rerum omnium angustiis animisque varia cura perturbatis atque distractis magna incrementa accipere adque pristinam aequalitatem dirigi posset, tunc primum factum esse videtur, ut deficiente prole complures domus hereditate jungerentur, quibus rursus dirimendis

111) Diodor. XI. 63: *ἐν γὰρ τῇ Σπάρτῃ γενομένων σεισμῶν μεγάλων συνέβη πεσεῖν τὰς οἰκίας ἐκ θεμελίων καὶ τῶν Λακεδαιμονίων πλείους τῶν δισμυρίων φθαρῆναι.*

112) Polyaen. Strateg. I. 41. 3.

113) Plut. V. Cimon. c. 17: *τοὺς δ' ἐφήβους ὑπολειφθεῖσαν ἐμπεσεῖν τὸ γυμνάσιον καὶ πάντας ὁμοῦ τελευτῆσαι.*

ipsa novorum dominorum progenies exinde non sufficeret. Tantum enim abest, ut sequentes aetates hominum dispendia nova fecunditate resarserint atque compensarint, ut ab hoc inde tempore magis magisque semper decrescere Spartanorum numerum videamus neque integris quinque aetatibus interjectis vix mille homines superessent, qui arma ferre possent [114]); quod ne bellis tantum quamvis continuis, quae per ea tempora Lacedaemonii gesserunt, tribuamus, adeo eos pepercisse civium capitibus tenendum est, ut quum antea aequato cum perioecis numero ipsi in bellum exirent, jam fere solos perioecos libertinosque interdum mitterent [115]) vel mercenariorum militum opera uterentur; ut taceam non minus bellorum et anterioribus saeculis fuisse [116]), quibus parem sibi et hominum et agrorum modum constitisse supra vidimus. At haud scio an ipsa inaequalitas eam vim habuerit, ut qui semel opulenti facti essent, familiarum suarum splendorem multa progenie infringi nollent, pauperes autem et ipsi multos liberos in penuriae atque egestatis spem tollere dubitarent; quod quamvis secus fuerit Athenis, ubi in summa inaequalitate summa tamen omnes acquirendi reique faciendae libertate fruerentur, longe alia res fuit inter Spartanos, quorum omnes opes in patrimoniorum reditibus iisque perpetuis positae essent; utque omnino dici potest,

---

114) Aristot. Politic. II. 6. 11: *τοιγαροῦν δυναμένης τῆς χώρας χιλίους ἱππεῖς τρέφειν καὶ πεντακοσίους καὶ ὁπλίτας τρισμυρίους, οὐδὲ χίλιοι τὸ πλῆθος ἦσαν.*

115) Conf. Lehrbuch §. 47. n. 7 et 8.

116) Clinton Fast. Hellen. T. I, p. 408: *this diminution is not to be ascribed to the ravages of war; for this cause would have operated in the period from Lycurgus to the Persian war.*

eadem instituta, quae antea aequalitati servandae inserviissent, quoniam non tam ad librame̅nti aliquod artificium excogitata quam ad pristini status propagationem comparata fuerunt, ubi semel inaequalitas orta esset, parem efficaciam ad eam propagandam habuisse, ita imprimis commercio prohibito fieri necesse erat, ut dum divites, quo major eorum initio numerus fuisset, eo facilius subinde, qui eorum superstites essent, hereditatibus accrescerent, si qui semel pauperes essent, propagandis familiis condicionem earum semper deteriorem redderent. Neque enim modo divites alios, sed etiam alios pauperes illa quam supra diximus calamitate factos esse consentaneum est; quae licet non eum exitum habuerit, ut finium detrimentum Laecedaemoniorum ditio pateretur, tamen, quod longe etiam perniciosius erat, plurimos eorum helotarum subtraxit, qui soli antea eos agros Spartanorum in usum coluissent[117]); unde aut illud fieri necesse erat, ut, dum inculti manerent agri, multorum reditus insigniter laborarent, aut ut suis sibi manibus victum quaerere agrosque ipsi cum liberis suis colere deberent, quorum utrum elegissent, vix prohibere poterant, quominus posteri ipsorum eam capitis deminutionem pa-

117) *Αὐτομολούντων τῶν εἱλωτῶν*, Thuc. IV. 41; V. 14. Lachmannus (Gesch. Griechenlands T. I, p. 460) quomodo contendere possit, helotarum imminutionem non apparere, non intelligo; quo enim utitur Thucydidis testimonio VIII. 40, hoc tantum dicit, *pro civium numero multis plures quam Lacedaemoniis servos fuisse*; alioquin mendacissimum inveniremus, qui non ignorare poterat, in Attica circiter quadringenta millia horum hominum exstare; cf. Athen. VI. 103, p. 272 C et Boeckh. Staatsh. d. Ath. T. I, p. 39; quum helotarum in Laconica ne trecenta quidem millia fuisse consentaneum sit; cf. Clinton. Fast. Hell. T. II, p. 418.

terentur, quam ὑπομειόνων nomine appellatam esse probabiliter conjecisse mihi videor. Quamvis enim et agrorum spatia integra retinuissent et opere faciendo vitam abunde tolerarent, tamen servili opera destituti in agris suis degebant neque eo otio[118]) abundabant, ut vel ad syssitia convenire vel liberos suos urbanae institutioni committere ingenuisque veteris disciplinae artibus erudire possent, unde optima civitatis jura pependisse in superiore disputatione demonstravi; eumque vel Agesilai temporibus jam majorem Spartanorum numerum fuisse uno omnium luculentissimo Xenophontis testimonio comprobatur, qui vix quadraginta Spartanos in foro numerasse Cinadonem tradit[119]). Et divites quidem decrescente hominum numero ipso jure hereditario opes suas facile augebant; pauperes autem, etiam si ad ipsos aliqua hereditas pervenisset, ex nudis agrorum spatiis fructus nullos capiebant, quum neque ipsi colendis illis sufficerent, neque pretio eos vendere liceret, neque adventiciis servis mercenariisve uti vel ob rei familiaris angustias vel ob publicas civitatis leges possent, quas vix arbitramur mancipia ex alienis terris importari passas esse[120]); plurimam igitur agrorum partem incultam jacuisse consentaneum est, quae quum venationibus atque aucupiis pateret, et ipsa otiosorum tantum commodis inserviebat, qui ejusmodi exercitiis atque delectationibus omne tempus impendere pos-

118) Plut. V. Lycurg. c. 24: καὶ γὰρ ἕν τι τοῦτο τῶν καλῶν ἦν καὶ μακαρίων, ἃ παρεσκεύασε τοῖς ἑαυτοῦ πολίταις ὁ Λυκοῦργος, ἀφθονία σχολῆς, οἷς τέχνης μὲν ἅψασθαι βαναύσου τοπαράπαν οὐκ ἐφεῖτο κ. τ. λ.

119) Hellen. III 3. 5.

120) Müller Dor. T. II. p. 39.

sent [121]). Quod si Leuctricae pugnae tempore vix duplum eorum hominum superfuisse dicitur, qui illo in bello occiderunt [122]), Messenia amissa vix magnam fundorum jacturam fecisse Spartani videntur; nam ut omittam quod supra significavi integras portiones non in tota Messenia fuisse videri, opulentissimorum certe hominum latifundia prope ipsam urbem sita erant, ubi helotae facilius in officio retineri potuerant, neque tantum nunc illi cladi, quantum et alii et ipse olim feci, tribuerim; quam ut facile largior et ipsam, quales tunc Spartani erant, nova inaequalitati incrementa addidisse, ita apparet reducendo agrorum modo salutarem potius reipublicae fieri potuisse, nisi jam inde a Peloponnesio bello a pristina sobrietate descivissent ipsamque inaequalitatem adeo adamassent, ut vel commodissimam ejus tollendae occasionem praetermitterent.

VI.

Dudum fortasse melius fecissent, si eam ditionis partem, cui colendae helotarum capita amplius non sufficerent, vicinis gentibus reliquissent, reliquam ab integro civibus distribuissent; at id ipsum noluerunt scilicet, quibus fortuna et helotas suos conservasset et agrorum modum hereditatibus orborumve matrimoniis ultra pristinam descriptionem adauxisset: opulenti illi, qui quum ejus fortunae beneficio non modo lautiores essent omnique voluptatum genere af-

121) De venationis studio, si tanti est, vide Plutarch. V. Lycurg. c. 24.

122) Xenoph. Agesil. 2, 24: αὐτῶν Σπαρτιατῶν οὐ μειόνων ἀπολωλότων ἐν τῇ ἐν Λεύκτροις μάχῃ ἢ λειπομένων.

fluerent, verum etiam soli in republica regnarent, senatum parvamque concionem soli complerent, ephoros sibi corruptione obnoxios haberent, tantum aberat ut quidquam mutari ad praesentis temporis necessitudinem paterentur, ut antiqua illa Lycurgi instituta, licet proprio sibi aequalitatis fundamento prorsus destituta, tanquam privilegia sua anxie retinerent, dumque iniquissimam dominationem in ipsos civitatis participes exercerent, pristinae reipublicae diuturnitatem in speciem hominumque fraudem jactarent. Qui autem ne cum civibus quidem abundantiam suam communicare vellent, multo minus exspectari poterat facturos, quod augendae multitudinis causa olim factum esse supra memoravimus, ut helotarum ex genere familias suas supplerent [123], quorum licet etiam tum haud exiguum numerum in agris suis habuisse videantur [124], minuere tamen quocunque modo vires animosque deprimere quam vel summa necessitate urgente in usum suum convertere malebant, retinendi potius pristini juris quam pristinae condicionis restituendae studiosi. Nimirum quae fieri Lycurgus vetuisset, sancte ac religiose cavebant, quae ipsorum prudentiae vigilique curae atque communis patriae amori reliquisset, ipsarum legum fiducia eo securius negligebant, quo melius privatae ipsorum potentiae in stricti juris observatione consultum erat; eamque alteram turbatae aequalitatis causam dicere licet; quam si recte

---

123) Cf. de Homoeis p. 132.

124) Siquidem tempore Thebanorum invasionis (369 a. Chr.) sex millia eorum ad arma vocare poterant; cf. Xen. Hellen VI. 5. 28; ut mittam πέντε μυριάδας ἀνδραπόδων, Aetolorum incursione in Laconicam facta abductos, apud Plut. V. Cleom. c. 18.

contendimus multo majora praesidia in iis quae concessisset Lycurgus, quam quae praecepisset, habuisse, facile apparet servari non amplius potuisse, simulatque ii homines, qui civitatis regimen tenerent, caeca legum obedientia contenti, in reliquis cupiditates potius suas quam legislatoris vestigia sequi coepissent, dumque rivulorum ductus custodirent, vivum fontem conturbari atque exarescere paterentur. Quippe eadem populorum quae animalium sors esse videtur, ut post aliquantum temporis spatium torpescant atque marcescant, tandemque amisso spiritu vitali inane tantum formae simulacrum retineant, quod etsi variis artibus diuturnum servari possit, tamen iis ipsis partibus partiumque functionibus facillime careat, unde vera atque vegeta vita pependerit; neque consentaneum erat aequalitatem, quem quasi pulmonem reipublicae Lacedaemoniorum dixerim, diutius incolumem manere, quam integrum atque genuinum spiritum respublica duceret; qui ubi aliquo modo corruptus atque interceptus esset, quo arctius aliquod institutum cum ipso civitatis vigore ac sanitate cohaereret, eo celerius labascere et exstingui necesse erat. Atque haec si cui causa potior esse videatur, quippe quae non ex fortunae aliquo ludibrio sed ex aeternae necessitatis lege ducatur, non repugno; verumtamen quaerere licet, utrum deficiente spiritu pulmonem quoque defecisse, an potius pulmonis labe extrinsecus accepta spiritum corruptum esse dicamus; utque concedam vel atrocissimam illam calamitatem, quam cum terrae motu conjunctam fuisse vidimus, alio tempore, recentibus etiam reipublicae viribus veterisque sapientiae quasi instinctu permanente, facilius reparari potuisse, neutiquam ta-

men verisimile est Lacedaemonios etiam non accepta illa clade tam cito viribus defecisse regendaeque reipublicae cursum perdidisse; quorum vel in ipsa corruptela tanta fortitudo atque vivacitas apparet, ut nisi externa fortuna civitatis condicionem depravasset, non minus boni quam postea pravi status tenaces futuros fuisse credibile sit. Tutissimum igitur videtur utramque causam ita conjungere, ut neutram sine altera tantum valuisse intelligamus, atque ut vel humana corpora certum est, etiam si ad vitae suae terminum pervenerint, multo saepius externo aliquo casu quam sola naturae imbecillitate occumbere, ita etiam Lacedaemoniorum reipublicae insigni aliqua calamitate opus fuisse statuamus, qua velut ipso vitae domicilio turbato praeclarum illud corpus, quod a Lycurgo etsi non procreatum, informatum tamen ac corroboratum esset, paulatim dilaberetur; quae tamen ipsa calamitas multo minus perniciosa esse potuisset, nisi ea temporum ratio fuisset, ut semel aperta janua omnia corruptelae genera velut agmine facto irruerent. Sed de temporum illecebris, quibus Lacedaemoniorum virtus succubuit, ita jam ab aliis disputatum est, ut ne verbo quidem amplius in re decantata opus sit[125]); unum tantum addere liceat, quo haud scio an nihil et morum integritati et hominum numero conservando apud Lacedaemonios perniciosius fuerit: mercenariarum copiarum incrementa dico, quas notum est circa Peloponnesium bellum in Graecia ortas mox in tantam vim

125) Vide modo Mansonem T. III, P. 1, p. 226–230 et quos citavi in Lehrbuch §. 46, n. 14.

evaluisse[126]), ut nulla sine his bella geri posse viderentur, neque apud alias tantum nationes interdum mercenarium quam domesticum exercitum cogere facilius esset, sed ipsi quoque Lacedaemonii eorum opera uti non recusarent. Verum de iis damnis, quae a peregrinis mercenariis Lacedaemoniorum respublica accepit, nunc non loquor; sed quod multo exitiosius fuit, ipsos quoque Lacedaemonios homines exteris mercenariam operam praestare videmus, unde sive domum rediissent, peregrinos mores avaritiamque et ambitionem secum importabant, sive ibidem vitam exegissent, fortissimorum civium copia patriam privabant; quorum licet plerosque ex pauperum numero fuisse credibile sit, tamen et honestissimo genere natos et qui ipsius Lycurgeae educationis participes fuissent, in mercenariorum numero invenimus[127]). Et initio quidem ducum tantum loco fuisse videntur, quales in Cyri expeditione Clearchum et Chirisophum videmus; mox quo majore honore tanquam bellandi artifices ubique exciperentur, eo plures eum quaestum occepisse credibile est, neque aliunde facilius inaudita illa hominum decrementa explicari possunt, quae intra pauca saecula Lacedaemoniorum civitas passa est, nisi ex illis peregrinationibus, quas consentaneum est plurimam eorum partem continuis bellis hausisse, quique superstites essent, in aliarum potius terrarum affluentia retinuisse, quam ad domesticam disciplinae se-

126) Cf. Lehrbuch §. 30, n. 10 ut § 171, n 16.

127) Ut Xanthippum illum, quo duce Carthaginienses Regulum vicisse notum est; cf. Polyb. I. 32: *ἐν οἷς καὶ Ξάνθιππόν τινα Λακεδαιμόνιον, ἄνδρα τῆς Λακωνικῆς ἀγωγῆς μετεσχηκότα καὶ τριβὴν ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἔχοντα σύμμετρον.*

veritatem vel rei familiaris angustias remisisse. Neque enim ipsam fecunditatem Lacedaemoniis defuisse, feminarum illa abundantia ostendit, quam tantam fuisse Aristoteles tradit, ut ex quinque partibus agrorum duae penes mulieres essent [128]; quod licet partim et dotibus magnis tribuat, quae ab Epitadei inde lege, ut videtur [129]), dari coeptae sunt, facile tamen apparet, neque illas tantas dari potuisse, nisi marum penuria et sorores prae fratribus ditari permisisset et maritos filiabus quasi pretio emere coëgisset; nec pauperum inde decrementa explicari, quorum multitudinem et ipsam pariter cum divitibus imminutam esse ipse Plutarchi locus in vita Agidis (cf. sup. not. 1) declarat. Multum omnino dubitare licet, ecquam vim habuerit Epitadei illa lex ad bonorum inaequalitatem hominumve penuriam non dicam provocandam verum etiam promovendam atque augendam; quae si quid ejusmodi potuit, id effecisse videtur, ut quum ex vetere jure hereditario omnes pariter filii in bona defuncti patris succederent, et si complures ille fundos habuisset, eos inter se dividerent, jam integrum patrimonium quamvis amplum uni alicui sive filio sive alieno relinquere pro arbitrio liceret, idque ut veri haud absimile habeam ipsa oligarchiae indoles suadet, quae quum Lycurgeae legis beneficio perpetua atque indiscreta bona possideret, ne ea quidem dirimi velle posset, quae ex vetere instituto in partes ire oporteret; quo facto iis qui exhe-

128) Aristot. Politic. II. 6. 11: *ἐστὶ δὲ τῶν γυναικῶν σχεδὸν τῆς πάσης χώρας τῶν πέντε μερῶν τὰ δύο, τῶν τ' ἐπικλήρων πολλῶν γινομένων καὶ διὰ τὸ προῖκας διδόναι μεγάλας.*

129) Müller Dorier T. II, p. 197.

redati essent, nihil restabat nisi ut in peregrinas terras militatum abirent. Sed hoc in conjectura tantum positum est [130]); Plutarchus autem quod ea lege lata evenisse tradit, ut potentes opulentique heredipetae naturales heredes successionibus extruderent atque deturbarent, eoque pacto brevi tempore plurima patrimonia in paucorum manus devenirent, quam parum sufficiat ad eam rem explicandam, monere vix attinet; tantumque abest ut, quod ille vult, originem inde bonorum illa confusio ceperit, ut nisi jam praepotente optimatium factione ferri omnino non potuerit [131]). Nec licet prorsus incerta ejus aetas sit, ante Leuctricam pugnam latam esse verisimile est, quo tempore ea etiam antiquarum legum reverentia fuit, ut vel summa necessitate urgente non uno die diutius eas negligere sustinerent [132]); neque eam Agesilai regnum antecessisse id evincet, quod hic dimidiam partem ejus pecuniae, quam ex fraterna hereditate accepisset, pauperibus cognatis divisisse traditur [133]), siquidem χρήματα (cf. sup. not. 57) donari nulla lex prohibuit, nec si dotes dari Lycurgus vetuisse fertur, aliorsum hoc nisi ad sortes

130) Integrum Plutarchi locum apposui, ut ipsi lectores judicent: ἐφορεύσας δέ τις ἀνὴρ δυνατός, αὐθάδης δὲ καὶ χαλεπὸς τὸν τρόπον, Ἐπιτάδευς ὄνομα, πρὸς τὸν υἱὸν αὐτῷ γενομένης διαφορᾶς, ῥήτραν ἔγραψεν ἐξεῖναι τὸν οἶκον αὐτοῦ καὶ τὸν κλῆρον ᾧ τις ἐθέλοι καὶ ζῶντα δοῦναι καὶ καταλιπεῖν διατιθέμενον· οἱ δ' ἄλλοι πλεονεξίας ἕνεκα δεξάμενοι καὶ κυρώσαντες ἀπώλεσαν τὴν ἀρίστην κατάστασιν· ἐκτῶντο γὰρ ἀφειδῶς ἤδη παρωθοῦντες οἱ δυνατοὶ τοὺς προσήκοντας ἐκ τῶν διαδοχῶν, καὶ ταχὺ τῆς εὐπορίας εἰς ὀλίγους συῤῥυείσης πενία τὴν πόλιν κατέσχεν κ. τ. λ.

131) Aristot. Politic. V. 6. 7: οἷον καὶ ἐν Λακεδαίμονι εἰς ὀλίγους αἱ οὐσίαι ἔρχονται· καὶ ἔξεστι ποιεῖν ὅ τι ἂν θέλωσι τοῖς γνωρίμοις μᾶλλον.

132) Plut. Apophth. Lacon. T. VIII, p. 189 Hutt.

133) Plut. V. Ages. c. 4; cf. Lehrbuch cit. §. 47, n. 11.

trahi potest. Supellectile enim exspectare non poterat cives suos unquam adeo abundaturos esse, ut φερνὴ dotis locum tenere posset[134]; quare etsi divitum virginum jam Peloponnesii belli aetate mentio fiat, non sequitur ut quidquam ex illius legibus mutatum sit, antequam ipsa inaequalitate corrupti omnem pristinae frugalitatis memoriam deposuissent. Scilicet Plutarchus, qui totam Spartanorum rempublicam Lycurgi artificio legibus descriptam sibi fingeret, leges etiam circumspicere debuit, quibus mutatam illius formam tribueret; nos satis demonstrasse nobis videmur, quod initio disputationis nostrae proposuimus, salvis Lycurgi legibus ipsarumque adeo servandarum specie civitatis formam ab illo cum summa omnium aequalitate constitutam ad atrocissimam inaequalitatem et potuisse delabi et revera delapsam esse; quod ne cui mirum videatur, recogitandum est, tantam esse naturae vim, quantam nec animo comprehendere nec consilio prohibere legum lator possit; quam sive legibus extrinsecus defendere studeat, civium ingenia ipso tempore mutari, sive ipsa ingenia usu et disciplina ad prudentiam civilem instituere conetur, omnes fortunae vicissitudines praevideri non posse, eam denique rerum humanarum sortem esse, ut nisi externo casu intereant, ipsa sua fragilitate occumbant, sin ad aeternitatem comparatae videantur, eo majorem fati invidiam in se concitent.

---

134) Quid intersit inter προῖκα et φερνήν, indicavi Lehrbuch §. 122, n. 2; cf. Petiti legg. Att. p. 450 et Bunsen de jure hered. Ath. p. 43, nec video, quid in ea distinctione difficultatis deprehenderit G. A. Beckerus Charicl. T. II, p. 455.

INDEX.

I. Disputatio de statu Lacedaemoniorum ante Lycurgum.

II. Disputatio de novis Lacedaemoniorum post Lycurgum institutis.

III. Disputatio de condicione atque origine eorum qui Homoei apud Lacedaemonios appellati sunt.

IV. Disputatio de causis turbatae inter Lacedaemonios agrorum aequalitatis.

